Universitätsbibliothek Paderborn

# Annales Ecclesiastici

Jncipiens ab Anno Domini CCCC.XL. perueniens vsque ad D.XVIII. inchoatur ab Imperio Justini senioris: complectitur Annos LXXVIII.

**Baronio, Cesare**

**Coloniæ Agrippinæ, 1624**

Iesv Christi Annus 483. Simplicii Pap. Annus 16. Zenonis Imp. 10. Odoacr. Reg. 8.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14573**

Visual Library

*cùm prænunciata populi tranſmigratio prouenifſet, prædictoris imperata complerent.*

LXIII. BARBARICA TEMERITAS A DEO PVNITA.

*Fridericus verò beati Seuerini morte compertâ, pauper & impius barbarâ cupiditate ſemper immanior, veſtes pauperibus deputatas & alia nonnulla credidit auferenda. Cui ſcelen ſacrilegium copulans, calicem argenteum cæteraq; altaris miniſteria præcepit auferri: quæ cùm impoſita eſſent ſacris altaribus, nec auderet directus villicus ad tale facinus manus ſuas extendere; quendam militem Auitianum nomine compulit diripere memorata; qui quamuis inuitus præcepta perficiens, mox tamen inceſſabiliter vexatus omnium tremore membrorum dæmonio quoq; corripitur. Is ergo velociter conſilio meliore correxit errata: ſuſcepto namq; profeſſionis ſanctæ propoſito, in inſula ſolitudine armis cæleſtibus mancipatum militiæ commutauit officium. Fridericus autem immemor conteſtationis & præſagij ſancti viri, abraſis omnibus monaſterij rebus, parietes tantùm, quos Danubio non potuit transferre, dimiſit: ſed mox in eum vltio denunciata peruenit. Nam intra menſis ſpatium à Friderico fratris filio interfectus, prædam pariter amiſit & vitam.* hic finis viri ſacrilegi: reliqua autem, quæ ad S. Seuerini translationem pertinent, dicturi ſumus ſuo loco inferiùs. Sed redarguendus hîc ille, qui penes plures error inualuit, dum eum appellant Epiſcopum Noricorum, quem numquam voluiſſe Epiſcopatu initiari, Eugipius eius diſcipulus diſertis verbis affirmat.

LXIV. IVSTA AVCTORIS IN HÆRETICOS COMPELLATIO.

Ad hoc ipſum (clamare liceat) viuum ſemperque manens omnium virtutũ digniſſimum exemplar digito Dei inſcriptum (quot enim miracula per ipſum Deus edidit, tot quiſque verè dixerit eſſe notas ampliſſimas diuinę manûs operâ exaratas) ad hoc ipſum, inquam, prototypum prouoco filios deſertores, quo ſentiant quantum abhorreãt à pura illa religione, fideq; Catholica, quam acceperunt maiores ipſorũ à viro ſanctiſſimo; qui iure licèt Noricorum Apoſtolus nominetur, tamen non ſolùm Noricis, ſed & Batauis, Vindelicis, Rugis, & alijs Euangelium prædicauit ſequẽtibus Apoſtolicis ſignis: vt planè nihil minus in his habuiſſe viſus ſit à cæteris Apoſtolis. Quo cũ eædem nationes tanto glorientur inſtitutore, quid eſt, quòd quamplurimi ex ipſis, poſthabitâ rectâ veráq; miraculis etiam oſtensâ doctrinâ, conuerſi ſunt ad recentiorũ fabulas hæreticorum? *Currebatis benè*: (ſic liceat Apoſtoli[a] eos verbis à fide refugas compellare) *Quis vos impediuit veritati non obedire? Perſuaſio hæc non eſt ex eo, qui vocauit vos.* cuius rerum præclarè geſtarum auctorem habetis adeò probatum, vtpotè qui ſcripſit ea, quæ vidit, & tantâ quidem fide, vt non audeant eum veſtri eijcere, imò laudent, celebrent, atq; commendent[b]. Hæc autem obiter aduerſus apoſtatas à Catholica religione dicta ſunto: cũ tamen ſciamus ijſdem in locis adhuc ſupereſſe, qui eadem, quæ Seuerinus, retineant, defendantque Catholica dogmata, & eius virtutes affectantes, proximè imitatores accedant.

[a] *Gal. 5.*

[b] *Valent. Annal. Boior. lib. 2.*

## IESV CHRISTI
### Annus 483.

SIMPLICII PAP. Annus 16. ZENONIS IMP. 10. ODOACR. REG. 8.

I. QVATRINGENTESIMO octogeſimotertio Chriſti anno Anicius Fauſtus Conſul creatus eſt: quo Ioannes Epiſcopus Alexandrinus Catholicus, expulſus Zenonis iuſſu anno ſuperiori, Antiochiâ primùm ad Calendionem Epiſcopum, inde verò Romam ſe contulit ad Simplicium Romanum Pontificem, quem vt legitimum Iudicem appellârat. Agit de his Liberatus Diaconus verbis iſtis[c]: *Ioãnes autem Talaida eiectus de ſede Alexandrinâ propter Petrum Mogum, profectus eſt Antiochiam, vt videret illum* Exconſulẽ *Magiſtrum* Officiorum: *cui cùm narrâſſet, quæ ſibi euenerant, eius conſilio ingreſſus eſt ad Calendionem Antiochenum Patriarcham; & ſumptis ab eo interceſſionis Synodicis literis, Romanum Pontificem Simplicium appellauit, ſicut & beatus fecerat Athanaſius: & ſuaſit ſcribere pro ſe Acacio Conſtantinopolitano Epiſcopo. Et quidem ad hoc Simplicius præparati animi & voluntatis fuit. Acacius verò ſuſceptis epiſtolis, ſimpliciter ſcripſit ei, quia Ioannem quidem ignoraret Epiſcopum, Petrum verò Mogum ſuſcepiſſet in communionem in Zenonis Principis Vnitiuo; & quòd citra eius geſiſſet ſententiam propter vnitatem Eccleſiarum, Principis iuſſione.*

IOANNES EPISC. ALEXAND. APPELLAT ROM. PONTIF.

[c] *Liberat. Diacon. in Breu. c. 18.*

II. SIMPLICIVS ACACIVM REDARGVIT ACACIVM. *Simplicius ſuſcipiens huiuſmodi literas contriſtabatur aduerſus Acacium, eiq; ſcripſit, quòd non benè feceret contra ſententiam Apoſtolicæ ſedis ad communionem hominum ſuſcipiens: Oportebat enim, communi decreto damnatum tanquam adulterum, communi Concilio damnatione liberari. Ad hæc autem, quia non ſufficeret Petro conſiteri communicatorem ſe eſſe Eccleſiæ Catholicæ ſecundum edictum, ſed oporteret eum ſecundum terminum Chalcedonenſis Concilij, & ſecundum epiſtolam Papæ Leonis amplecti communionem: vnum enim de duobus agere deberet, aut ſuadere Petro purè ſuſcipere terminum Synodi, aut remouere ſe ab eius communione. Sed cùm ad Acacium hæc ſcripta veniſſent, & deliberaret, quid eum oporteret ſcribere, Papa Simplicius defunctus eſt.* hæc Liberatus. deſiderantur eiuſmodi nouiſſimæ Simplicij ad Acacium literæ; ſed quàm acres fuerint, ex alijs ab ipſo ad eundem anno ſuperiori ſimili argumento cõſcriptis poſſumus intelligere. Porrò qui Romanum Pontificem appellauit Ioãnes Alexandrinus Epiſcopus, appellationem ipſe proſecuturus, Romam ſe contulit: Verùm cùm venit, Simplicium Papam defunctum inueniens, libellum obtulit eius ſucceſſori Felici: quod quidem ex ipſius Felicis Papæ literis conſtat.

III. Quod verò ait ſuperiùs Liberatus in literis Acacij ad Simplicium Papam redditis in cauſa Ioannis, contrarium planè eſſe videtur ijs, quæ inferiùs idem auctor habet his verbis: *Dum per quinque annos ſæpiùs fuiſſet admonitus Acacius, de ſtatu Alexandrinæ Eccleſiæ ſanctæ, Papæ ſolicitudinem releuaret, nihil vnquam reſpondere dignatus eſt.* Fuit eadem de Acacio querela Simplicij Papæ ſucceſſorum, quòd alto ſilentio rem tantam præterijſſet, ſinens hæreticos in Eccleſias debacchari.

IV. SIMPLICIVS ET OBIIT. Obitus autem Simplicij, de quo facta eſt mentio, principio menſis Martij contigit (vt habet Anaſtaſius de Romanis Pontificibus) cùm ſediſſet annos quindecim, menſes quinque, & dies decem: de quo præter eas, quæ ſuperiùs ſunt enarratæ dignæ ſanctiſſimo Præſule res geſtæ, hæc in eodem libro leguntur: *Hic dedicauit baſilicam S. Stephani in Cælio monte in vrbe Roma, & baſilicam beati Apoſtoli Andreæ iuxta baſilicam S. Mariæ, & aliam baſilicam S. Stephani iuxta baſilicam S. Laurentij, & aliam baſilicam intra vrbem Romam iuxta Palatium Licinianum beatæ martyris Bibianæ, vbi corpus eius requieſcit.*

RES GESTÆ PER SIMPLICIVM PAP.

V. Quod verò ad baſilicam S. Andreæ in Eſquilino monte erectam pertinet: cùm illa penitùs diruta perierit, quod vnicum extat de ea monumentum à Platina conſeruatum hîc memoriæ cauſa erigam; ait enim: *Hoc autem in templo hæc carmina legiſſe me memini muſiuo opere deſcripta:*

*Hæc tibi mens validè decreuit prædia Chriſte,*
*Cui teſtator opes detulit ille ſuas:*
*Simpliciusq; Papa ſacris cæleſtibus aptans*
*Effecit verè muneris eſſe tui.*
*Ne quod Apoſtolici deeſſent limina nobis,*
*Martyris Andreæ nomine compoſuit.*
*Vtitur hæc hæres titulis Eccleſia iuſtis,*
*Succedensq; domo myſtica iura locat.*
*Plebs deuota veni, perq; hæc commercia diſce*
*Terreno cenſu regna ſuperna peti.*

In antiquarum Inſcriptionum volumine de eodem Simplicio, quod fecerit in Paradiſo (erat locus amœnus iuxta baſilicam S. Petri ita dictus) ædificium, eſt eiuſmodi antiqua deſcriptio, hoc titulo[d], *In Paradiſo.*

*Cum ſubitis peragi fallax clementia veris*
*Et ſacer addendo feſta vetaret aquis:*
*Simplicius præſul ſacraria celſa petentem*
*Porticibus iunctis texit ab imbre diem.*

Ibidem ſub hoc titulo[e]: *Super limina introitus Eccleſiæ.*

*Qui regni claues, & curam tradit ouilis*
*Qui cœli terraq; Petro commiſit[*] auenas*
*Vt reſeret clauſis vt ſoluat vincla ligatis*
*Simplicio nunc ipſe dedit ſacra iura tenere*
*Præſule quo cultus veneranda creſceret aula.*

[d] *Antiq. inſcript. in Append. pag. 1164. num. 1.*

[e] *Antiq. inſcript. in Append. pag. 1165. num. 3.*

[*] habenas

hacte-

hactenùs vetus inſcriptio. ſubdit verò Anaſtaſius: *Hic conſtituit ad S. Petrum Apoſtolum, & ad S. Paulum Apoſtolum, & ad S. Laurentium martyres hebdomadas, vt presbyteri manerent ibi propter pœnitentes & baptiſmum, Regionem tertiam ad S. Laurentium, Regionem primam ad S. Paulum, Regionem ſextam & ſeptimam ad S. Petrum.* Hæc ibi.

VI. Sed pœnitentiariorum presbyterorum in Eccleſijs pręſtolantium pœnitentes haud recentem fuiſſe in Romana Eccleſia vſum, iam ſuperiùs dictum eſt. Hebdomedarij erant huiuſmodi, quòd ob ingruentem populum viciſſim ſuccedere ſolerēt. Sed cur pro quatuor tantummodò Regionibus hi propoſiti erant, cùm in ſeptem partitam vniuerſam Vrbem ad ſacrarum rerum vſum ſuperiùs, dum de ſeptem diaconis egimus Regionarius, dictum ſit? Accidiſſe putamus, quòd reliquas tres Regiones Eruli occupâſſent, qui Catholicæ Eccleſię minimè communicarent, vtpotè quòd ſectâ eſſent hæretici Ariani.

VII. NON HVMANÆ INNITI POTENTIÆ ROMANAM ECCLESIAM.

Ex quibus planè intelligis, quàm procul abſit, vt Romanorum Pontificum auctoritas ex humanis fuerit deducta auctaq; præſidijs; quod inſcij rerum geſtarum garriunt imperiti, nimirùm cùm blaterant, ob ſedem Imperij Romæ fixam, creuiſſe potentiam Apoſtolicæ ſedis: Antequā enim Chriſtiani Principes regnarent, quinam fouebant Romanos Antiſtites? num Ethnici Imperatores, qui eos perſequebantur, demetebātq; falce martyrij? Ab his quidem emolumētum planè nullum; damna autem plurima quotidie experiri ſolebant ijdem Rom. Pontifices; quorū tamen temporibus eoſdem Romanæ Eccleſiæ Præſules eâdem ampliſſimâ auctoritate & poteſtate cunctis totius Orbis Eccleſijs paſtorali regimine præfuiſſe, manifeſtè docent res geſtæ ſingulis fermè annis ſuperiùs ſecūdo tomo Annalium recitatæ: Quarum planè rerum imaginem, & temporum faciem, aliqua ſaltem ex parte, his annis reddi conſpicimus, dum ceſſantibus penitùs Occidētalis Orbis Romanis Imperatoribus, & regnantibus in Italia ad plura annorum ſpatia barbaris Arianis, Catholicis omnibus, ipſiſque potiſſimùm Romanæ Eccleſiæ infenſiſſimis: nihilominùs Romanæ Eccleſiæ ſemper effulſit auctoritas atque maieſtas, perinde ac ſi tempora eſſent Conſtantini atq; Theodoſij Imperatorum, non Romæ tantùm, ſed vbiq; terrarum, vbi vigeret Chriſtiana religio; quod ex rebus geſtis ſuis temporibus enarratis peruidere facilè eſt.

VIII. Et ne à Simplicio, de quo agimus, digrediamur: vidiſti eum ſub Odoacre Rege Romam occupante, barbaris Arianis eam replentibus, inter barbaricum furorem & Arianorum cum potentia iunctam procaciam, deploratiſſimis hiſce temporibus, perinde ac in ſumma pace otio & tranquillitate eſſet, eâdem auctoritate ac libertate, quâ ſemper anteà prædeceſſores, inſidere Cathedræ Petri, vniuerſi Orbis Eccleſijs Occidentalibus & Orientalibus ſancire leges, cognoſcere cauſas, definire ſentētias, illos exauctorare, hos promouere, illoſq; in ſedes Epiſcopales reſtituere, releuare oppreſſos, faſtu elatos deijcere, coërcere Imperatores, obſiſtere omnib⁹ barbaris victoribus Regibus, inſuper ab Oriente & Occidente ſuſcipere legationes, in omnibus deniq; arbitrum ipſis atq; Iudicem cōſidere; & vbi corpore non poſſet præſens aſſiſtere, legationum auctoritate ac per vicarias pręfecturas tum Occiduo, tum etiam Orientali ſemper Orbi præſto fuiſſe, præfuiſſeque cunctis Eccleſijs. Hæc quidem haud eſſe ventoſa atq; inania verba, ex ijs, quæ ſingulis eius Pontificatûs annis dicta ſunt, haud dubijs, ſed probatiſſimis atq; certiſſimis aſſertionibus, perfacilè quiſq; poterit intelligere: vnde ſimul omninò perſpicias, haud ſuper humanam inniti potentiā Petri cathedram, ſed ſupra firmam petram, ſuper quam fundauit eam Altiſſimus, adeò vt aduerſus eam nec homines eidem aduerſantes, neq; tota vis inferorū pręualeant. ſed tamen parua hæc, paucaq; eſſe ſenties, quæ per Simplicium Papam auctoritate Apoſtolicâ præſtita eſſe diximus, ſi quæ ab eius ſucceſſoribus fuêre perfecta, didiceris.

IX. Sed quæ ſunt reliqua de Simplicio, quæ ad ornatū Eccleſiæ pertinent, & alia, ex eodem volumine de Romanis Pontificibus his attexamus: *Hic fecit in Eccleſia Romana ſcyphum aureum penſantem libras quinque, cantharos argenteos ad beatum Petrum ſexdecim penſantes ſingulos libras duodecim. Hic fecit ordinationes in vrbe Roma tres per menſem Decembrem, & Februarium, creauitq; presbyteros quinquaginta octo, diaconos vndecim, Epiſcopos per diuerſa loca numero triginta ſex. Hic ſepultus eſt in baſilica S. Petri ſexto Nonas Martij, & ceſſauit Epiſcopatus eius dies ſex.* hactenùs ibi.

ORDINATIONES PAP. SIMPLICII.

X. Quæ autem hoc tempore ſedis Simplicij vacantis, nondum ſucceſſore creato, Romæ præſumpta ſint per Baſiliū Præfectum Prætorio vicem agentem Odoacris Regis; hîc in medium adducamus ex Actis tertij Romanæ Synodi ſub Symmacho Papa, quæ ſic ſe habent[a]: *Dixerunt inter alia* (ſchiſmati ſcilicet) *ſcripturam quandam illuſtris memoriæ Baſilium quaſi pro Eccleſiaſticæ amore ſubſtantiæ conſcripſiſſe: in qua nullus Romanæ Eccleſiæ nec interfuit, nec ſubſcripſit antiſtes, per quem potuiſſet ſortiri legitimam firmitatem. Ne verò ego* (inquit Symmachus Papa) *inde diſputem, ſed vt poſſit veſtrum iudicare Concilium; requiratur & deferatur in medium, vt lectione agnoſcatis, cuiuſmodi poſſit habere ſubſtantiam. Sancta Synodus reſpondit: Deferatur in medium, vt cuiuſmodi ſit, poſſit agnoſci. Et dum dixit, Hormiſda diaconus recitauit:*

a Concil. Rom. 3 ſub Symmach. cap. 12.

XI. QVID BASILIVS IN SEDE VACANTE PAP. SIMPLICII.

*Cùm in vnum apud beatum Petrum Apoſtolum reſediſſent: ſublimis & eminentiſſimus vir Præfectus Prætorio atque Patricius, agens etiam vices præcellentiſſimi Regis Odoacris, Baſilius dixit: Quanquam ſtudij noſtri & religionis interſit, vt in Epiſcopatûs electione concordia principaliter ſeruetur Eccleſiæ, ne per occaſionem ſeditionis ſtatus ciuitatis vocetur in dubium: tamen admonitione beatiſſimi viri Papæ noſtri Simplicij, quam ante oculos ſemper habere debemus, hoc vobis meminiſtis ſub obteſtatione fuiſſe mandatum, vt propter illum ſtrepitum & venerabilis Eccleſiæ detrimentū, cùm de hac luce tranſire contigerit, non ſine noſtra conſultatione cuiuſlibet celebraretur electio.* Vides, quibus artibus ſæculares poteſtates immiſcere ſe conatæ ſint in electione Romani Pontificis. Potuit fortè rogâe eum Simplius Papa, vt ad comprimendas turbas, diſſidiaque vitanda præſto eſſet futuræ electioni ſucceſſoris Pontificis. non autem, vt abſque eius conſultatione electio haud fieret. Cæterùm hæc omnia fuiſſe conficta, ac prorſus indigna, quæ in medium proferrentur, cùm res in controuerſiam deducta eſt ſub Symmacho in dicto Romano Concilio, Creſconius Eccleſiæ Tiburtinæ affirmans, iſta dum legerentur, hæc fuit interlocutus: *Hic perpendat ſancta Synodus, vt prætermiſſis perſonis religioſis, quibus maximè cura eſt de tanto Pontifice, electionem laici in ſuam redegerint poteſtatem: quod contra canones eſſe, manifeſtum eſt.* His ab illo dictis, pergit Hormiſda diaconus legere, quæ ſequuntur:

XII. *Nam & cùm quid confuſionis atq; diſpendij venerabilis Eccleſia ſuſtineret: miramur, prætermiſſis nobis quicquam fuiſſe tentatum: cùm, etiam ſacerdote noſtro ſuperſtite, nihil ſine nobis debuiſſet aſſumi. Quare ſi amplitudini veſtræ vel ſanctitati placet, incolumia omnia, quæ ad futuri Antiſtitis electionem reſpiciunt, religioſâ veneratione ſeruemus, hanc legem ſpecialiter præferentes, quam nobis hæredibuſq; noſtris Chriſtianæ mentis deuotione ſancimus.*

XIII. BASILII EDICTVM DE NON ALIEN. BON. ECCLESIÆ ROM.

*Ne vnquam prædium ſeu ruſticum, ſeu vrbanum, vel ornamenta, aut miniſteria Eccleſiarum, quæ nunc ſunt, vel quæ ex quibuſlibet titulis ad Eccleſiarum iura peruenerint, ab eo, qui nunc Antiſtes ſub electione communi fuerit ordinandus, & illis, qui futuris ſæculis ſequentur, quocumq; titulo & commento alienetur: Si quis verò aliquid eorum alienare voluerit, inefficax atq; irritum iudicetur: ſitq; facienti, vel conſentienti, accipientiq; anathema.* Iſta audiens & exhorreſcens Maximus Epiſcopus Bleranæ Eccleſiæ, hæc mox eſt interlocutus: *Modò ſancta Synodus dignetur edicere: ſi licuit laico homini anathema in ordine Eccleſiaſtico dictare, aut ſi potuit laicus ſacerdotali* anathema dicere, & contra canones quod ei non competebat conſtituere. Dicite, vobis, quid videtur: De me licuit laico legem dare? Sancta Synodus dixit: Non licuit. Et adiecit: Lege ſequentia. Hormiſda diaconus legit:*

* ordini

XIV. *Et is, qui prædium ruſticum vel vrbanum iuris Eccleſiaſtici fuerit conſecutus, nouerit ſe nullâ lege vel præſcriptione munitum: ſed ſiue is, qui alienauerit, ſiue qui eum ſequetur*, voluntate contrariâ prædium huiuſmodi alienatum reuocare tentauerit, id cum fructibus reſtituat qui illud fuerit cōſecutus: Quam etiam pœnam placuit accipientis heredes probar deſq; reſpicere. In qua re cuilibet clericorum libera ſit contradicendi facultas. Iniquum eſt enim & ſacrilegij inſtar, vt quæ pro ſalute vel pro requie animarum ſuarum*

* conſequetur.

*vnuſquiſque venerabili Eccleſiæ pauperum cauſa cōtulerit, aut certè reliquerit, ab his, quos hoc maximè ſeruare conuenerat, in aliquem* * *transferantur. Planè quæcumq; in gemmis, vel auro, vel argento, necnon & veſtibus minus apta vſibus vel ornatui videbuntur Eccleſiæ, quæ ſeruari ad diu manere nō poſſunt, ſub iuſta æſtimatione vendantur, & erogationi religioſæ proficiant.* Hæc autem ſcripta à ſchiſmaticis ſub Baſilij titulo oblata ſunt: quæ nullius prorſus fuiſſe roboris, eadem ſancta Romana Synodus ſub Symmacho, ipſoque præſente, decreuit: in quorum abrogationem cùm grauiſſimæ à ſanctis Patribus ſententiæ dictæ fuerint; hîc ſatis ex illis vel vnam ſaltem referre Eulalij Epiſcopi Syracuſæ, quæ ſic ſe habuit:

(Margin: *alienationem.)

XV. (Margin: EVLALIVS SYRACVSANVS EPISCOPVS QVID ADVERSVS EDICTVM BASILII.)

*Scriptura, quæ in ſacerdotali Concilio recitata eſt, euidentiſſimis documentis conſtat inualida. Primùm, quòd contra Patrum regulas à laicis quamuis religioſis, quibus nulla de Eccleſiaſticis facultatibus aliquid diſponendi legitur vnquam attributa facultas, facta videtur. Deinde, quòd nullius Præſulis Apoſtolicæ ſedis ſubſcriptione firmata docetur. Quòd ſi cuiuſlibet prouinciæ ſacerdotes, intra terminos ſuos Concilio habita, quicquam ſine Metropolitani, ſiue Antiſtitis auctoritate tentauerint, irritum eſſe debere Patres ſancti ſanxerunt: quantò magis quòd in Apoſtolica ſede non exiſtente Præſule, qui prærogatiuâ beati meritis Apoſtoli Petri per vniuerſum Orbem primatum obtinens ſacerdotij, ſtatutis Synodalibus conſueuit tribuere firmitatem, à laicis, licèt conſentientibus aliquantis Epiſcopis (qui tamen Pontifici, à quo conſecrari probantur, præiudicium inferre non potuerunt) præſumptum fuiſſe cognoſcitur, viribus carere non dubium eſt, nec poſſe inter Eccleſiaſtica vllo modo ſtatuta cenſeri:* hæc dixit Eulalius conſentientia ijs, quæ ab alijs ſanctiſſimis Epiſcopis dicta fuerunt: in quam ſententiam & reliqui abiêre. Sicque caſſa irritaque prorſus reddita ſunt, quæ hoc anno à Baſilio agente vicem Regis Odoacris, eodemque Præfecto Prætorio facta fuiſſe dicuntur: ſed quæ ſubdola ac fraudulenta commentitiaque reiecta ſunt, penitùs antiquata fuêre, vtpote quòd à ſchiſmaticis poſt annos duodeuiginti, non ex Archiuis Romanæ Eccleſiæ edita, in quæ nunquam illata fuêre, ſed ſcrinijs fortaſsè Prætorianis. Porrò Baſilium hunc Præfectum Prætorio haud alium exiſtimamus fuiſſe ab illo Cæcinna Baſilio Conſulari Romæ ſpectatiſſimo, in cuius laudem plura habet Sidonius in epiſtola ad Heronium [a]. Porrò quod ad Simplicium Papam pertinet: ne quis putet eum Romanæ Eccleſiæ bona profudiſſe, vt eâ occaſione Baſilius Præfectus de non alienandis bonis Eccleſiæ edictum promulgârit: Ipſum quidem Pōtificem non minuiſſe, ſed auxiſſe Eccleſiæ bona, argumēto eſt, quod apud Caſſiodorum [b] in literis Theodorici de domo quadam ab ipſo Papa Simplicio empta Romanæ Eccleſiæ hæc ſcripta reperiuntur: *Defenſores itaque ſanctæ Romanæ Eccleſiæ conqueſti ſunt, beatæ recordationis quondam Simplicium domum in ſacratiſſima Vrbe poſitam ab Euphraſio acolytho inſtrumentis factis ſolemniter comparaſſe: quam per annorum longa curricula Eccleſiam Romanam quieto iure ſuggerunt poſſediſſe, & in vſus alienos tranſtuliſſe ſecuritate dominij: nunc autem exiſtere Samareæ ſuperſtitionis populum improba fronte duratum, qui ſynagogam ibidem fuiſſe, iniquis conatibus mentitur, cùm ad humanos vſus habitacula longè aliter formata doceantur, quàm poteſt eſſe memorata conſtructio; &c.* Sub barbaris Regibus Roma ſubiecta, omnibus improbis ſectis Romæ domicilia & ſynagogas ad profanos ritus habere conceſſum fuit, adeò vt etiam Samaritani ibi domicilium ſibi quæſierent. Sed ad S. Simplicij ſucceſſorem electum tranſeamus.

(Margin: a Sidon. li. 1. epiſt. 9. — b Caſſiod. Variar. li. 3. epiſt. 45 — SVB BARBARIS REGIBVS VRBS REFERTA OMNI SORDE HÆRETICORVM.)

XVI. (Margin: FELIX PP. TERTIVS ELIGITVR.)

Poſt dies ſex ceſſationis Papæ Simplicij, die octauâ Martij creatus eſt Pontifex Felix patria Romanus ex patre Felice itidem genitus, functus antea presbyterio in Titulo Faſciolæ: prodit hæc vetus Anaſtaſij liber de Romanis Pontificibus. Simulac autem Felix tantæ moli, tali turbulentiſſimo tempore ſubiecit humeros, inſiſtēs prædeceſſorum veſtigijs eâdem poſt illos graditur viâ: nam quod ad fidem Catholicam pertinet, reiecit Zenonis Enoticon. teſtatur id quidem Theodorus lector, qui ait [c]: *Cùm autem omnes (vt fertur) alij Patriarchæ conciliationem Zenonis approbarent, ſolus Felix Romanus illi non communicauit.* hæc ipſe. Præſtiturus id erat Simplicius prædeceſſor: ſed morte præuentus, rem integram ſucceſſori reliquit. Felix igitur rem indigniſſimam deteſtatus, execratuſq; eſt probroſum facinus, quo tum fides Catholica abrogatione Chalcedonenſis Concilij magnoperè læderetur, tum etiā corrumperetur Eccleſiaſtica diſciplina, dum eò progreſſa eſt Zenonis audacia, vt de fide edictum promulgans, leges præſcriberet Eccleſiæ, doceret doctores, & Epiſcopis nouum ſymbolum fidei ſeruandum proponeret: iſta, inquam, Felix exhorreſcens, in ſubſcribentes impio edicto intulit anathema, ipſumq; proſcripſit vnitatis edictum, verè impietatis ſeminarium.

(Margin: c Theod. Lect. Collect. lib. 2.)

Quod verò ad cauſam ſpectat Alexandrinæ Eccleſiæ, idem Pontifex Felix audiuit Ioannem Epiſcopū Alexandrinum ſedem Apoſtolicam appellantem; ſuſcepitque ab eo querelarum libellum, quem ille Simplicio offerēdum parârat; ſed morte præuento, tradidit ſucceſſori. Eo accepto Felix, quòd res magni eſſet momenti, maximiq; ponderis, cùm iam eò cauſa producta videri poſſet, vt in eſſe matura forent euellenda zizania; verteretq; e periculum non vnius Eccleſiæ, ſed trium præcipuarum ſedium Orientis Eccleſiarum, cùm diſſimulatum diutiùs eſſet, vt poſt hæc omnis tolerantia ignauiæ potiùs, quàm patientiæ adſcribenda eſſet: idem Felix de re in maxima omniū cauſa Concilium ex Italiæ Epiſcopis more maiorum cogendum eſſe putauit. XVII.

(Margin: CONCIL. ROM. IN CAVSA ACACII.)

Conuenerunt itaq; ſanctiſſimi Patres, habentur ſacra Comitia, grauiſſimæ dicuntur ſententiæ: in illud tamen omnium conſpirauêre ſuffragia, vt legatio decerneretur Conſtantinopolim ad Zenonem Imperatorem, ſcriberēturque robuſtiſſimæ literæ, quibus de proditione Catholicæ fidei, eiuſq; proditoribus querelæ ingererentur: Scriberetur inſuper ad Acacium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, cui de non defenſa fide, deq; conniuentia cū hæreticis ipſe Romanus Pontifex (vt par erat) expoſtularet: Inſuper adderetur his accuſationis libellus eidem Romano Pontifici aduerſus eundem Acacium oblatus à Ioanne Epiſcopo Alexandrino: huic iungeretur ipſius Romani Pontificis libellus ad eundem Acacium, inſtar citationis, vt reſponderet aduerſum ſe oblatis in Apoſtolicæ ſedis iudicio obiectionibus: ſed & ea de re alius mitteretur ad Zenonem Imperatorem libellus, vt cogeret Acacium cū accuſatore experiri iudicio. Hæc nota ſunt in Synodo fuiſſe decreta, præter alia, quæ ſecretò fuerūt cōmiſſa legatis. Conſtant hæc quidem omnia cùm ex literis ipſius Papæ Felicis ad Acacium datis, tum etiam ex epiſtola ad Imperatorem ab ipſo conſcripta: quæ ambæ, quod rerum geſtarum per exactam narrationem complectantur, hîc eas deſcribendas putamus; eò magis, quòd nuſquam (quod ſciamus) editæ, nunc primùm è penetralibus noſtræ bibliothecæ produntur in lucem. Extant ipſæ quidem in peruetuſto codice Creſconiacæ collectionis. XVIII.

Datæ ſunt autem hæ literæ ijs, qui à S. Synodo ad magnam hanc prouinciam obeundam legati delecti ſunt, nempe Vitali atque Miſeno Epiſcopis, necnon Felici Eccleſiæ Romanæ Defenſori. Quarum verò hi fuerint ciuitatum Epiſcopi, nuſquam apud aliquem hiſtoricum expreſſum inuenimus. De Miſeno tantùm, in conſtituto Vigilij Romani Pontificis de tribus capitulis, reperimus eū nominatum eſſe Cumanum Epiſcopum. Sed in ſcripto perantiquo codice noſtræ bibliothecæ, cui eſt titulus: Cōcordantiæ canonum, inter alia ineſt perbreue compendiū hiſtoriæ, complectens tempora ab ortu Neſtorij hæreſis vſque ad Concilium Romanum ſub Felice Papa, in quo damnatus eſt Acacius; quòd licèt ſine auctoris nomine editum reperiatur, alicuius, qui hoc ſæculo vixit, & veritatis ſtudioſus fuit, eſſe videtur: in hoc, inquam, opere inter alia habentur hæc de his legatis miſſis Conſtantinopolim: *Poſtquam ergo Felix Papa literas prædeceſſoris ſui nihil proficere cognouit, & ludibria quædam in euerſionem fidei ab Acacio fieri: Tunc Vitalem Epiſcopum Droëntinum ex regione Picena, & Miſenum Cumanæ Eccleſiæ Epiſcopum ex regione Campania direxit, &c.* ſed pro, Droëntinum, Truentinum, legendum eſt. Erat enim tunc ea ciuitas apud fluuium eodem nomine nuncupatum Truentum, hodie vulgò, Tronto, XIX.

(Margin: VITALIS ET MISENVS EPISCOPI LEGATI.)

dictum:

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

dictum: meminerunt eiuſdem ciuitatis Plinius, Ptolemæus, & alij. Hæc de legatis Conſtantinopolim miſſis ſatis ſunto. Sed ſubijciamus his literas in Creſconiana collectione repertas, hactenùs nuſquam cuſas; quarum lectio eò gratior accidere debet, quòd earumdem mentionem habet ex Græcis Euagrius, ex Latinis verò Liberatus Diaconus, vtpote quæ in Oriente atq; Occidente eſſent vbique notæ.

XX. Ipſas igitur datas ex Synodo literas reddituri, primo loco eas, quæ ad Acacium Cōſtantinopolitanum Epiſcopum ſcriptæ ſunt, hîc deſcribamus, per quem optauit ſancta Synodus conueniri Zenonem Imper. vt quæ aduerſus Catholicam fidem perperàm hactenùs egiſſet, ſedulo ſtudio emendaret. Præfigitur his in codice literis eiuſmodi inſcriptio: *Felicis ad Acacium Epiſcopum per Vitalem & Miſenum Epiſcopos.* ipſa autem epiſtola ſic ſe habet:

XXI. FELICIS PAPÆ AD ACACIVM EPISTOLA. *Poſtquam ſanctæ memoriæ deceſſore meo Papâ Simplicio de huius vitæ curſu ſupernâ præceptione migrante, miniſterij, quod regebat, ad meæ humilitatis officium gubernacula peruenerunt: in diuerſas generalis Eccleſiæ curas, quas vbiq; terrarum cunctis populis Chriſtianis, ſummi Paſtoris voce delegante, beatiſſimus Petrus Apoſtolus peruigili moderatione diſpenſat, continuò me ſolicitudo maxima, quæ & prædeceſſorem meum inceſſanter vrgebat, tam Alexandrinæ vrbis, quàm ſtatûs fidei totius Orientalis regionis excepit: Hæc nos diebus noctibuſq; perſtringens, ad dominum, filiumq; noſtrum Chriſtianiſſimum Principem per Vitalem & Miſenum fratres & Coepiſcopos noſtros legationem compulit deſtinare: quæ vice meâ pietati eius & debita præſentaret officia, & pro fide Catholica, maiorumque noſtrorum ſeruandis conſtitutionibus ſupplicaret.*

XXII. FELIX REDARGVIT ACACIVM DE AFFECTATO SILENTIO. [a] Rom. 9. * propellentibus. * incitata. *Hâc igitur illò pergente, par fuit dilectionem tuam dilectis pariter ſalutare colloquijs, & conſequenter hortari, vt aliquando tandem patrocinium cauſæ Domini communis impendas; nec deſpiciendum putes, quòd Chriſti confeſſione veridica, & vniuerſalis eius Eccleſiæ definitione ...... vel de pace concorditer ...... ſi illum & honore cupis eſſe clarus & nomine. Fatemur enim ſecundùm Apoſtolicam [a] vocem, magnam nobis ineſſe triſtitiam & dolorem cordis noſtris continuum cogitationibus, quas in dies procedentibus* negotijs ſuſtinemus. In primis illud, quòd dudum ante oculos ferè omnium vertebatur, occurrit: cuiuſnam rei cauſa videlicet interceſſit, iudica nobis, quòd dilectio tua non modò tantis opportunitatibus indeſinenter exortis, verùm etiam ſæpenumerò à deceſſoribus meis literis inuitata*, velut obſtinato ſilentio, numquam ſuper hanc partem aut conſulere quicquam voluerit, aut referre. Cumq; nos aliquid temerè ſiniſtrum (quod abſit) de tua mente conueniat opinari: tamen quia venerabilium virorum, qui Eccleſiam, cui præſides, antè rexerunt, moram formamq; deſtituas, vllo modo poſſis non eſſe ſuſpectus.*

XXIII. ACACIVS SVPERBIA REDARGVITVR. *Certè ſi (quod non credimus) dedignaris beati Apoſtoli victorijs reuerentiam tuis deferre faſtuoſis affectibus; memor ſaltem officij pro fidei integritate Catholicæ, pro paternarum cuſtodia ſanctionum, pro Synodi Chalcedonenſis conſtitutione ſeruanda, quæ Nicæni Conuentûs penitus probat articulos; atque pro eis vbique hoſtibus comprimendis, ſicut Orthodoxorum vrbis illius imitator Antiſtitum, conſtanter exurgere debuiſſes: quoniam te taliter inter membra corporis Chriſti monſtrare non poſſis, niſi nullatenùs prouidere deſiſteres illis, quæ per totum mundum dicuntur obrepſiſſe contagijs.*

XXIV. *Proinde adire debes ſæpiùs Chriſtianæ mentis Auguſtum, & cauſas eidem ſalutis ſuæ atq; etiam Imperij redditurus, & conſeruandi eius auxilium frequenter ingerere, vnde inimici illius corruerint, & quâ viâ idem ſurrexerit, nihilominùs intimare ei; ſcripta illa ſenſibus pietatis eius offerre, quibus deceſſorem meum eximiâ laude extulit, eò quòd hæreticam tyrannidem Catholicæ veritatis aſſertione confoderit: Item illa quoque, quibus Petrum Alexandrinum ab Alexandrinæ ceruicibus excuſſit Eccleſiæ, & ſanctæ memoriæ Timotheum reuocauit Orthodoxum: Nec illa præterire, quibus Epiſcopis & clericis, laicisq; per omnem Ægyptum conſtitutis, quòd à diuina Chriſtiana profeſſione deuiaſſent, ſicut Catholicus Imperator obteſtans; niſi intra duos menſes ad communionem Timothei redirent, honoribus, Eccleſijs, omnibuſq; in illa regione denunciauit eſſe priuandos: Simul etiam quibus Petri quem illicitè ſe Alexandrinæ Eccleſiæ iniecisse perhibuit, ac Timothei hæretici iam defuncti ordinationes, vel ea, quæ ſecretò per modos dicebant, ita recaſſauit: Necnon etiam illud adnectere, quod cùm Timotheus ſanctæ memoriæ Catholicus fungeretur extremis, diuinæ inſpirationis inſtinctu, tam ad eius Pontificis conſulta reſcribens, quàm ad vrbis Alexandrinæ clerum, omni prouidentiâ mandauerit præcauendum, vt ſi præfatum Dominus ſacerdotem tranſire iuſſerit, nonniſi de Catholicorum corpore clericorum*, & qui Orthodoxæ fidei probaretur eſſe diſcipulus, omnibuſq; communicaret Eccleſijs, atq; à Catholicis ordinatus ſuccederet defuncto Pontifici: nimirùm ſapienter intendens, Petrum, qui iam à nullis, aut ab hæreticis falſi nominis huius honore iactaretur, ſuper * petram Catholicæ Eccleſiæ, è qua eius temerariâ fuerat præſumptione depulſus, nunquàm non poſſe penitùs præſidere.* * vide Petrum. Vides quanta arma neglexit Acacius, quibus ſi voluiſſet, vincere potuiſſet Imperatorem. Sed ſubdit:

*Hæc huiuſmodi, quæ geſta ſunt, & dilectionis tuæ conſcientiam non latent, conuenerat ſæpius impertiri; præcipuè cùm in his Chriſtianiſſimo Principi promulgandis, quando ad regiam poteſtatem, Deo comitante, remeauit, operam tuam miſſis huc literis non tacueris vehementer impenſam eſſe, dignam Catholico Pontifice, gloriareris, omnes, qui contra ſedem veſtram*, contraque Chalcedonenſem Synodum, & contra prædicationem ſedis Apoſtolicæ venire tentauerint, fuiſſe proſtratos: quo magis te pro tua ſalute & profeſſione ferventius apud clementiæ eius aures oportuerat talia inceſſabiliter allegare, ac magnoperè deprecari, quò nec ſuam, quam Catholica mente deprompſerat, violari vllatenùs pateretur cuiuſlibet ſubreptione ſententiam: Nec aduerſus vniuerſalis Eccleſiæ ſanctionem per hæreticorum furias, quas, Deo inſpirante, pietas eius eliſerat, ſineret denuò pullulare, quàm manifeſtiſſimè peruideres; ac tua modò omnibus prædicatione rurſum in ea, quæ extiterant ei aduerſa, conſurgeres, atque eadem ſine dubitatione firmares: quando hæc reluctantia, ſicut dudum fuerant ſubuerſa, iacuiſſent; ne vel tua (quod abſit) fidei deſtitutor, vel perfidia diceretis fautor aliena. Error enim, cui non reſiſtitur, approbatur; & veritas, quæ minimè defenſatur, opprimitur. Deinde, cùm tibi, Domino præſtante, apud Dominum filium noſtrum religioſum Principem familiaritatem eſſe nouerimus: nullis vnquam potuit ſuaderi dilectionem tuam nequiuiſſe gerere, quin potiùs noluiſſe. Et ideò quia non impoſſibilitatis eſſet, quod tacetur: ipſe quoque non ambigis, quid hinc vniuerſalis iudicare poſſit Eccleſia.* XXV. * noſtram. FELIX PP. REDARGVIT ACACIVM TACITÆ CONSPIRATIONIS CVM HÆRETICIS.

*Vbi eſt, frater Acaci, labor tuus, quo tyrannidis hæreticæ tempore deſudaſti? Patieris hoc damno conſcientiæ tuæ eiuſmodi perire mercedem. Reſpice Apoſtoli verba[b], quæ teſtantur: Currebatis benè: quis vos conſaſcinauit? Cur eorum, frater, quærere ſemitas veteres nunc relinquis? Cur irruentibus in ouile Dominicum lupis, nulla vigilantia miniſterij paſtoralis obſiſtis, ſed æquanimiter atque ſecurus commiſſum gregem non laniari perſpicis, aut necari? Non dicentem recolis Dominum, & animam ſuam quidem pro ouibus ponere proprias deuotione paſtores; mercenarium autem de his curam pecutûs non habentem, mox vt beſtiam forte conſpexerit, ſine vlla diffugere conſideratione teſtantem? Verùm cùm tibi fugiendi nulla ſit cauſa: nam nulla formido eſt, metuo ne ſepta Dominica non tam pauore deſerere, quàm (quod eſt deteſtabilius) ſponte videaris ſæuientibus obieciſſe*.* XXVI. [b] Galat. 5. * deieciſſe.

XXVII. *Auſculta vocem eiuſdem Domini præmonentis[c]: Qui mecum non eſt, contra me eſt: Et qui mecum non colligit, diſpergit. Et diligenter attende, nihil aliud eſſe, non procurare, quæ Chriſti ſunt, niſi ſe palam profiteri eius inimicum. Non deſperemus facere, frater, veram Saluatoris noſtri ſententiam[d], qua ſe vſq; ad finem ſæculi Eccleſiæ ſuæ non defuturum eſſe pollicitus eſt, nec ab inferi portis eam dixit[e] eſſe ſuperandam, & quæ[f] omnia per Apoſtolicæ ſcita doctrinæ ligarentur in terris, nec in cœleſtibus memorauit abſolui. Neq; putemus, quòd quibuslibet ſit vallata periculis, vnquam pondus vigoris ſui, vel cenſura beatiſſimi Petri, vel auctoritas vniuerſalis amittat Eccleſia: quæ quantò magis cauet, ne mundi proſperitatibus intepeſcat, tantò non frangitur, ſed potiùs erudita diuinitùs, creſcit aduerſis. Vnde* perſpiciendum eſt, ne eam, quæ nullis poteſt obrui* motibus procellarum: quicumq; eam ſubmergere nititur in ipſo ſæculi pelago fluctuantis, ipſe potiùs à gubernatione ſalutari in profunda delictus, illâ præualente, mergatur.* [c] Luc. 11. [d] Mat. 28. [e] Mat. 16. [f] Mat. 16. 18. * Vbi. * molibus.

XXVIII. PERSTRINGITVR ACACIVS A FELICE PP. *Atq; ideo, cùm ita ſit, moneo, hortor, & ſuadeo, vt quæ commiſſa ſunt, corrigas, & ſequentibus ſtudijs de te facias meliora ſentiri. Negligere quippe, cùm poſſis deturbare peruerſos, nihil eſt aliud, quàm fouere. Non caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui euidenter*

*facinori deſinit obuiare. Vnde ſi contra Synodi inſtituta Chalcedonenſis tendere hoſtilia corda perſpicis, & quieſcis: mihi crede, neſcio quemadmodum te Eccleſiæ totius aſſeris eſſe participem. Ad te oculos præterea non reducis, quia non ſolùm in hac cauſa aduerſus omnem Catholici dogmatis tendat ir vnitatem, ſed etiam cunctis hæreſibus, quæ vel ſe à nobis meliùs ſentire prætendunt, reſumendi vires, atq; inter vſus priſtinos reſurgendi, latus campus aperitur, ſi ſemel quod à noſtris maioribus eſt diſpoſitum, qualibet occaſione pulſetur.*

XXIX. *Vnde iterum atque iterum proteſtamur, ne in abruptum totius Eccleſiæ ſtatus per audaciam contra Synodum Catholicam inſurgere molientium ſinatur abduci. In quo quidem certamine firmum fundamentum Deus ſtatuet, ſicut de eo licet nobis ſperare; & nouit Dominus qui ſunt eius. Veruntamen, ſaluo eo, quòd in die Iudicij talem à nobis Eccleſiam, certum eſt, qualem à Patribus accepimus, exigendam; etiam in hac vita ſe ad eam pertinere cognoſcat, qui non ſolùm plenitudini eius noxia conatur inferre, ſed etiam qui ea, quæ eidem congruentia ſunt, diſſimulat prouidere. Abſit, vt de tua dilectione taliter nos credamus, quem & dudum pro Catholica fide viriliter ſtetiſſe reminiſcimur, & à totius Eccleſiæ corpore nolumus diſcrepare. Quapropter inſtantiùs (qui te ſincerè diligimus charitatis intuitu) crebrò repetitis hortationibus incitamus, vt ipſe viciſſim ea poſt hac deuites, quæ te ab omni domo Chriſti oſtendant eſſe disiunctum; nec magis illa ſecteris, quæ ab eadem te faciant eſſe diuiſum. Multa verò (quia non opus fuit literis vniuerſa congerere) quæq; vtilitas negotij præſentis efflagitat, fratribus & Coepiſcopis Apoſtolicæ ſedis legatione fungentibus, vel cum domino filio noſtro clementiſſimo Principe, vel cum tua dilectione colloquenda mandauimus: quod *æquum eſt & pro Catholicæ fidei obſeruatione prõptâ mente ſuſcipere, & pro tuæ æſtimationis intuitu neceſſariam apud Auguſtæ mentis beneuolentiam ſuggeſtionibus adiuuari.* hactenùs ad Acacium Felicis epiſtola.

* quos

XXX. Vidiſti, & (vt par eſt) magnâ, puto admiratione conſiderâſti, quantâ humanitate, charitate, manſuetudine, ac denique patientiâ agitari Apoſtolicæ ſedis iudicia cõſueuerint: vt licèt mille vndique fuerint obortæ dignæ cauſæ in Acacium grauiores Eccleſiæ cenſuras exerciendi; tamen ne ſuperbum & arrogantem hominem in ſuorum prauorum affectuum foueam præcipitem ageret ſeuerior diſciplina, optimus Samaritanus, & Chriſti Redemptoris arte benè inſtructus ad ſanãda inflicta vulnera medicus, lenitate oleo vlcus durum emolliat, adhibens interdum & correctionis debitæ vinum, vt illud omni purgatum ſanie redditum, ſuſcipiendæ ſanitatis compos efficeretur. Ita planè accidit[a], vt bonus homo de bono theſauro ſuo profert bona, malus autem mala: etenim inſtar alienæ[b] vitis conuerſus eſt Acacius in amaritudinem: & quæ[c] expectata eſt, vt faceret vuas, fecit labruſcas. Sed deſcribamus hic ex eodem codice Creſconiano epiſtolam eiuſdem Felicis Papæ ad Zenonem Imperatorem eiſdem legatis hoc anno datam, cui præfixus eiuſmodi ibi legitur titulus[d]:

[a] Luc. 6.
[b] Hier. 2.
[c] Iſa. 5.
[d] Ex eodem Cod. Creſco. ex noſtra bibliot. pag. 290. 2.

XXXI. EPIST. FELICIS PP. AD ZENONEM IMP.

*Incipit epiſtolæ exemplum beatiſſimi Papæ Felicis vrbis Romæ ad Zenonem Auguſtum per Vitalem & Miſenum Epiſcopos.*

*Decebat profectò, venerabilis Imperator, poſt ſanctæ memoriæ deceſſoris mei tranſitum, meq; in eius locum diuinâ gratiâ ſubrogatum, clementiæ tuæ literarum munus offerre: quod vel ea, ſicut rerum poſcebat ratio, nunciarem, vel officio ſtatus mei primitias exhiberem: quibus tamen ritè depenſis, etiam illa pariter necterentur, quæ ad veſtri munimen Imperij, proſperitatisq; eius ſuffragia pertinerent; quantoq; eſſent ſtudio maiore curanda, tantò dignioribus internuncijs explerentur. Itaq; conueniens fuit, vt Vitalis & Miſeni fratrum & Coepiſcoporum meorum, & famuli veſtri Felicis Eccleſiæ Defenſoris ad vos neceſſariam legationem mitterem, qui non tam baiuli ſpecie iſta deferrent, quàm meam vicem peragentes, me quodammodò vobis facerent eſſe præſentem. Per hanc igitur, velut cominùs honorificentiæ tuæ iunctus colloquijs, precor, vt ſupplicationem meam benignis auribus, ſicut Princeps Chriſtianus, accipias. Nec exiſtimet pietas tua, quòd quiſquam magis ſincerâ mente te diligat, quàm qui te pacem in Deo vult habere perpetuam: quando fideli mente non ambigas, & temporalis culminis poteſtatem & æternæ vitæ commercia de ſupernæ propitiatione pendere.*

XXXII. *Ecce iamdiu eſt, quòd beati Apoſtoli ſedes, datis per beatæ memoriæ deceſſorem meum ad ſerenitatem tuam literis, expectans, & nullam recepit pro Catholica fide, pro Occidentalium* tranquillitate reſponſum; præſertim cùm tuam conſcientiam, glorioſiſſime Princeps metuendis illa obſtruxerit ſacramentis, ne ſedes beati Euangeliſtæ Marci à doctrina magiſtri ſui, vel communione permitteres ſeparari. Sed quoniam præfati deceſſoris mei ſtudium, longâ incommoditate faciente, hæc eadem crebriùs iterare non potuit; per mea nunc humilitatis officium ſolicitiùs repetere non quieſcit. Rurſus ergo Apoſtoli Petri veneranda confeſſio maternè inſtat vocibus, & ſuorum præcipuè filiorum compellare non deſinens confidentiam tuæ pietatis, exclamat: Chriſtiane Princeps, cur me à curriculo charitatis, quo Eccleſia vniuerſalis aſtringitur, permittis incidi: cur in me rumpis totius Orbis aſſenſum?*

* Orientalium.

PRO ECCLESIA ALEXAN. SVPPLICAT.

XXXIII. *Quæſo te, fili pijſſime, ne tunica Domini deſuper contexta per totum, quâ in vnum corpus ſancto Spiritu vbique regente, indiuiduam fore Chriſti figurauit Eccleſiam, vllâ patiaris ſorte violari: neue cuius inter ipſos, qui crucifixerunt Saluatorem, manſit integritas, tuis videatur temporibus eſſe diuiſa. Nonne mea fides eſt, quam ſolam eſſe vnam, & nulla aduerſitate ſuperandam Dominus ipſe monſtrauit, qui Eccleſiæ ſuæ in mea confeſſione fundatæ portas inferi nunquam præualituras eſſe promiſit? Hæc te renatum ad regiam ſuſtulit dignitatem, atque ab eius impugnatoribus poteſtate extrusâ, præualendi tibi denuò viam in ipſius defenſione patefecit.*

XXXIV. *Verùm quæſo propone etiam exempla geſtorum, & hanc vicem meis repende beneficijs, vt quæ per rerum examina comprobâſti, & periculoſa præcaueas, & ſubſidia recuperata à te dignitatis affectes. Hæc rogo, quæ dicta Deus eſſe voluit per dictæ ſedis Antiſtitem, vel per mei ordinis prauitatem, qui tuæ ſecuritatis intuitu, huiuſcemodi ideò promenda iudicauit; vt non tam per eius qualemcunque Vicarium, ſed præſentis Apoſtoli velut auctoritate commonitus, altiùs vias & diuinæ reuerentiæ & humanæ conditionis aſpiciens (quod abſit) non ingratus exiſtere videaris collatæ felicitatis auctori. Redeat, obſecro, in animi tui integra deliberatione conſpectum, quæ inimicos tuos facta deiecerunt; quæ te ad Imperiale faſtigium, Deo comitante, reuexerint; qualiter illi cum nefanda dogmatis receptione conciderunt; & quemadmodum gloria tua in hæreticorum fuerit depulſione reparata: vt illi contra Chalcedonenſis Synodi venerabilia conſtituta & beatiſſimi Papæ Leonis ſcripta venientes, ipſâ ſui molitione collapſi ſunt; & quibus modis eorum reformationes ad priſtinum remeârunt *tuam reuerentiam Principatum.*

* reparatus.

XXXV. *Liceat, oro, apud te fidenter exponere*, quem conuenit non tacere. Vnicum in te ſupereſt priſci nomen Imperatoris: Ne, quæſo, nobis ſalutem tuam, pie Imperator, inuideas: ne fiduciam pro te minuas ſupplicandi. Cauſæ, quibus Dominus ſit propitius, inquirendæ ſunt, non quibus eius indignatio prouocetur. Conuenio, conteſtor, obteſtor: quoniam metuo, horreſco, formido, ne mutatione cauſarum (quod abſit) mutetur euentus. Reſpice propitius ad deceſſores tuos Auguſtæ memoriæ Marcianum ſcilicet & Leonem, & tantorum Principum fidei legitimus eorum ſucceſſor: Amplecti debes illorum in religione conſenſum, quorum debes memoriæ reuerentiã. Abſit à tua deuotione, abſit à tua poteſtate, vt talium credaris reſpuiſſe iudicium.*

* exercere.

XXXVI. *Poſtremò profeſſionem tuam, conſcientiamque recolendam ſenſibus tuæ pietatis inſinuo: Palatij tui ſcrinia facito recenſeri, & ſcripta illa diligenter inueſtigari, quæ ad apicem ſummæ regrediens poteſtatis ad deceſſorem meum pietas tua pro communi gratulatione direxit: his cùm ſemper magnâ laude proſequeris, quòd hæreticam tyrannidem prædicationis Catholicæ vigore contriueris, quã vtique iſtius veritatis prædicatione nihil aliud, quàm de Eutychiano labores errore prorſus abolendo, eiuſq; ſequacibus excludendis. Hæc pro Synodi Chalcedonenſis definitione ſeruanda, reducendoq; ſanctæ memoriæ Timotheo rectæ fidei ſacerdote, totâ ſuâ textus ſerie piè locuta eſt, Hæc certè tua manſuetudo cognouit: nec res incognitas tua clementia proferre potuiſſet, & palam apertèq; profeſſa, quod laudum tuarum teſtificatione firmâſti.*

XXXVII. *Requirantur illa quoque, quæ ad ſanctæ memoriæ Timotheum Orthodoxum Alexandrinum Epiſcopum ſerenitatis tuæ paginæ ſunt loquutæ, atque ex ipſis Actibus intuere, niſi Petro ex ea memorata vrbe ſecluſo, qui ei Eccleſiæ tunc temporis incubabat, ſupradictum Timotheum non fuiſſe reuocatum. Vos ad eumdem venerandæ recordationis Pontificem iam reductum Sacras venerabiles mox dediſtis, quibus fideli pectore gloriabamini,*

EX PRIORIBVS POSTERIORA REDARGVIT.

quòd ſancta Eccleſia magnæ ciuitatis Alexandriæ prouidens Orthodoxæ fidei, Dominus noſter ac Saluator verum reſtituerit ſacerdotem. Vbi manifeſtum eſt, quia cùm hoc verbum dicitis, illum fuiſſe falſum, qui pulſus eſt, oſtenditis: & cùm in venerando Timotheo Orthodoxo fidem Dominum teſtamini reduxiſſe, peruerſam in omnibus in Petro perhibetis refutâſſe doctrinam, non ob aliud, niſi quia & ille, qui Orthodoxus pronunciatur & verus, Chalcedonenſi Synodo (ſicut eius tunc miſſa tenet profeſſio) conſentiebat; & iſte, qui falſus & peruerſus eijcitur, ab eiuſdem Synodi tramite diſcrepabat.

XXXVIII. [* clericos] Denique cunctos Epiſcopos Ægypti, vniuerſosque cleros* increpaſtis, veſtris generaliter apicibus ſancientes, vt niſi intra duos menſes ab his, quæ à principio contra canones, contra Eccleſias Dei, contra Orthodoxam fidem cogitauerunt, abſtinerent, atque beati Timothei communione, quam impiè reliquerunt, dignæ pœnitentiæ ſatisfactione remearent; non ſolùm deſpoliandos honoribus, verùm etiam & Alexandrina vrbe, & omni Ægyptiaca regione carituros: iniuſtum enim videri, ſicut Chriſtianus Imperator affirmans, vt qui ſe ad Eccleſiam, quæ vbique terrarum eſt, ſegregarent, haberent ſacerdotes, aut vllo ſacro miniſterij nomine cenſerentur. Vos indignè ferentes ab Alexandrinis ſeditiones concitatas, eos, qui propter ordinem clericalem ſimili deceptione tenebantur, niſi ſalutaribus monitis obedirent, tali pœnâ dignos arbitrabamini.

XXXIX. QVÆ IN PETRVM PRO TIMOTHEO. Vos Petrum ſpeciali notantes elogio, quòd illicitè ſe Alexandrinæ iniecisset Eccleſiæ, omneſque, qui tam ab eo, quàm ab hæretico Timotheo iam defuncto fuerant ordinati, ſi infra iuſta tempora reſipiſcerent, ad communionem Catholici Timothei mandaſtis recipi, (non etiam ad malè præſumpti gradus priuilegia decreueratis admitti) conſequenter addentes, cæteros deteriora ſubituros, ſi eligere meliora noluiſſent. Vos cuiuslibet poſt hæc variæ ſatisfactionis cauſas cunctis penitus abſtuliſtis, quibus ipſos ab vnitatis conſortio diſcedentes, recenſuiſtis tuliſſe iudicium. Vos de ipſius perſona Petri quicquam denuò deſtruendas, ſapienti conſideratione tacuiſtis: quippe quem Eccleſiæ arce deiectum, ſimul periculi Pontificij videretis honore nudatum; nec vllo modo fieri poſſe, vt vnquam vel Orthodoxis præſideret, qui aut à nullis, aut ab hæreticis fuerat inſtitutus, vel recidiua totiens temeritate violentus ouile Dominicum ſubdolus & inuidioſus intraret.

XL. Atque ideo quòd corrigendis eius prætendebatis ſectatoribus irrogandum, huic iam quaſi magiſtro ſceleris rationabiliter deputabatis inflictum: vt quibus fratres merſerat ad ruinam, fieret ipſe meritum damnationis exemplum: quodque adeò verum eſt, vt ſuperſtare venerando Timotheo legionem ſollicitè ſufferitis, ſi eidem humanitus aliquid euenisset. Vos nonniſi de Catholicorum collegio clericorum & à Catholicis conſecratum ſubiſtis videre paſtorem: quia vbique nullo more, nullo ritu ſub veſtræ ſerenitatis obtutibus hæreſis ipſe præcipuus Eutychianæ dementiæ potuit eſſe vel dici Orthodoxi ſucceſſor Antiſtitis. Quo igitur anno beſtiam, quam à gregibus Chriſti duxiſtis abigendam, in eorum denuò patimini ſæuire perniciem? Certè legibus, quas vniuerſis impoſuiſtis, magis vultis vinci, quàm promulgare contraria: quantò ſatius fuerit, intemerata perſiſtere, quæ hæc pro integritate retinenda totius Eccleſiæ protuliſtis, quo & tui Catholici Imperij auctoritas inconuulſa permaneat, & nihil accedat, quod actibus apud Dominum veſtræ felicitati obſiſtat.

XLI. Cernis enim, venerabilis Imperator, quia vt Chalcedonenſis Synodi indubitata defenſio inimicorum eius eliſio eſt, ſic vicisſim manifeſtâ illius impugnatione comprobatur hoſtium veneranda ipſius cognitionis* enectio. Meminiſtis quemadmodum verba diuina nos inſtruant, neque in dextrum, neque in ſiniſtrum limitem rectæ diſpoſitionis excedere, ſed viâ (vt ſcriptum eſt[a]) regiâ mediaque gradiendo, hinc atque inde Neſtorij Eutychetiſque ſacrilegia condemnata deteſtans, ita magnæ pietatis prædicans ſacramentum, vt omnipotentis Dei Patris conſubſtantiale ſempiternumque Verbum, quod incommutabili Deitate & incarnatum eſt, & ab ipſo ineffabilis conceptionis exordio, quam ſibi in vtero Virginis matris potenter inſtruxit, vnum eundemque Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, vnum eundemque Dei & hominis Filium, vnum eundemque inconfusè, indiuisè Deum hominemque veraciter permanentem intemeratâ Patris lege prolatum, in hoc mundo fuiſſe conſpicuum*, diuina ſimul humanaque geſſiſſe; mortuum, atque ex mortuis exurgentem, in Patris dextera reſidere, itemque inde venturum, vt eſt viſus ire in cœlos, eatenus profiteremur, quatenus librorum memorat traditio diuinorum, & Nicæni Concilij forma, ſicuti cuncti retrò prædicauêre Pontifices: ſic eorum tam Epheſino primo competenter inſerta Conuentui, quo beati Papæ Cœleſtini temporibus Neſtoriana peſtis extincta eſt, quàm datis Auguſtæ memoriæ Leoni ſanctæ memoriæ Leonis Papæ epiſtolis capitula ſubiecta teſtantur; quibus vir ille conſulens etiam totius Orientis Epiſcopis, eorumque reſponſa, ſubſcriptioneſque ſuper Synodi Chalcedonenſis approbatione ſuſcipiens, ea nullatenus paſſus eſt mutari: quòd magis Chriſtianâ mente perpendit, & hoc eſſe verum, quod cum diuinis aſſertionibus Catholicorum de toto Orbe doctorum longè, antequam huiuſmodi quæſtio naſceretur, conſonantia vbique dicta concinuerant; & ideò nulla iteratione refodienda, quæ conſtarent iure damnata: ne non ſolùm cauſa præſens in omne Catholici nominis extendat exitium, ſed etiam cunctis reſiduis publica bella reſumendi pandatur occaſio, ſi quolibet modo, quod ſemel à veteribus vniuerſaliter deciſum eſt, retractetur: vti eſſe iam etiam peruadentis Alexandrinæ Eccleſiæ peruerſorem, funeſtâ diu impuritate graſſantem, veſtris præceptionibus, quibus meritò dudum probatur eiectus, eſſe nihilominus abigendum.

[* protectionis.] [a Deu. 25.] VERÆ FIDEI DOCTRINA. [* perſpicuum.]

XLII. REPELLIT FALSOS PRÆTEXTVS ZENONIS. An non ipſe eſt per triginta annos Catholicæ deſertor Eccleſiæ, inimicorumque eius ſectator & doctor, & ad fundendum ſanguinem ſemper velox fuit & promptus? Nunquid ad hanc iſtam diſſimulationem ſumus quadam ex conniuentia præceptoris? In quo re verâ non eſt opus diſcuſſione ſubtili; quia eius aperta ſunt crimina. Doles certè pietas tua, quòd per diuturnos partis aduerſæ graueſque conflictus multi ex hoc ſæculo videantur ablati aut baptiſmatis, aut communionis expertes. Sub hoc ergo Præſule ne ſint baptizati, & efficiantur hæretici, & ſine communione tranſeant, ne in perditorum prauitate deficiant: vt quemadmodum ſcriptum eſt[b]: Cæcus cæco ducatum præbens, cum eodem mergatur in foueam. [b Matt. 1]

XLIII. Non eſt hoc, oro te, acerrimum decreuiſſe periculum, quando nec ſaucijs adhibetur firma curatio, & ſanis ingeritur miſeranda contagio? Nam quomodo aiunt ſedari poſſe, ſi in futuro furores ſuos patiantur? Quid eſt illud dicere iam cauſam nullam ſupereſſe certaminis, niſi hæreticis victoria tribuatur? Proinde quibus inferri caſtigationis aliquid etiam corporalis, vt pater benignus horreſcis: multò clementius eorum animas non patiaris intercipi, ſed pia depoſitione compreſſos tandem ſubdi facias Catholico ſacerdoti; vt regenerationis effectum & ſecurum ſibimet profuturæ communionis auxilium conſequantur. Subiecit vobis diuina prouidentia facultates, quâ itidem effringatis opera perfidorum. Depulit ille noſtræ religionis vaſtatorem: vos ab eius Eccleſiæ ceruicibus irreptionem deturbate prædonum. Pacauit ille Rempublicam (ſicut veſter quoque ſermo teſtatur) à tyrannide hæretica, libertatem vos, ab ipſis hæreſeos præceptoribus populos cruentos, Chriſtianis reſtituite. Ille vos aulæ legitimæ reſtituit Imperatoris iure ſuffultos: reddite vos magiſtro diſcipulum; ſedem beati Marci Euangeliſtæ ad communionem beatiſſimi Petri, de vita eorum meritis deuotione reducite: vt ipſo in vobis opus bonum perficiente, qui cœperit, ſecurè audire mereamini[c]: Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit: & ad tuæ gloriæ cumulum, ita vice Dei præſideas, verendus veraciter exiſtens Diuinitatis imitator, atque adhuc in rebus temporalibus conſtitutus, iam experiaris & munus in æternam tibi beatitudinem præparatum.

[QVÆ A ZENONE PRÆSTANDA.] [c Matth. 10.22.]

XLIV. Quod verò cuncta literis non potuerunt comprehendi, quæ negotij qualitas non ſinit præteriri: quædam venerabilibus noſtris fratribus & Coëpiſcopis meis, quibus cura legationis iniuncta eſt, proprio apud vos agenda ſermone, commiſſa ſunt. Precor, vt ea quoque & audire benignus, & indifficulter annuere tam pro Catholicæ obſeruantia veritatis, tum etiam pro regni veſtri incolumitate digneminí. hactenùs Felicis Papæ epiſtola ad Zenonem Imperatorem, fortiſſima ipſa quidem ad redarguendum, & potentiſſima ad ſuadendum, ac digna planè tanto Apoſtolicæ ſedis Antiſtite: ſed mendoſa ſcriptio atque carioſa vetuſtas reddunt eam in nonnullis obſcuram.

XLV. Quòd verò magnoperè crederetur fore, vt Acacius refractarius ſuaſionibus Pontificis & Apoſtolicæ ſedis monitis minimè acquieſceret, ſed cõtumaciter ſolitâ arrogantiâ reſiliret: optimè conſultum fuit, vt iiſdem legatis daretur citationis libellus, quo Acacius ad Apoſtolicam ſedem ad reſpondendum obiectis coram ipſo Roma-



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

no Pontifice vocaretur; qui ſic ſe habet ex eodem codice ſcriptus:

XLVI. LIBELLVS FELICIS PP. AD ACACIVM. *Epiſcopali diligentiâ commonente, debuerat dilectio tua Eccleſiaſticum morem ſecuta, quid reſponſio ſanctæ memoriæ prædeceſſoris mei per virum deuotum Vranium ſubdiaconum, apud clementiſſimum Principem, qui apud te quoque literæ ipſius in cauſa Alexandrinæ Eccleſiæ profecerint, indicare: & curam, cuius te non immeritò voluit eſſe participem, cuncto ſtudio proſperorum ſignificatione moliri; vt Catholica fides apud Chalcedonenſem Synodum roborata, & iterum firmata reſponſis omnium, qui in eadem reſederant Domini ſacerdotum, quàm inopinatò rurſus hæreticorum prauitas inquietat, communi opere inimicis proprijs ſubiacere non permitteretur oppreſſa. Quòd cùm diu omittitur, ſuperueniens & Coëpiſcopus noſter Ioannes fugatus ab hæreticis peruaſoribus ſedis Alexandrinæ, libellum nobis, quem ſanctæ memoriæ deceſſori meo parauerat porrigendum, (quantum ex ſubiectis agnoſces) ingeſſit. Quem morem, maioris ſui beatæ memoriæ Athanaſij exemplo & priorum * noſtrorum; non potimus refutare.*

* piorum

XLVII. *Et ideò lectis ſubditis *, frater cariſſime, ad hæc, quæ propoſita eſſe cognoſcis, apud beatum Petrum Apoſtolum, cui preces in nobis oblatas peruides, & quem ligandi atque ſoluendi à Domino poteſtatem ſumpſiſſe, non potes diffiteri; & in Conuentu fratrum & Coëpiſcoporum noſtrorum reſpondere feſtina: vt in alterutram partem, quod iuſtitia parauerit; ordinationes, amotis ſcandalis Eccleſiarum, quas ſcindi videmus, reparatâ concordiâ, & ſeruatâ integritate fidei, puris mentibus acceptiſſimas faciamus placationis hoſtias, quas pro omni populo Chriſtiano & ſalute glorioſiſſimi Imperatoris offerimus. Ad quam rem de collegio noſtro fratres & Coëpiſcopos noſtros Vitalem & Miſenum, cum quibus illum à latere noſtro fidelißimum noſtrum Felicem Defenſorem, ſanctæ Eccleſiæ Romanæ ordinatione direximus: quibus moram fieri non oportet: ne ad indignationem Domini prouocandam, quæ corrigenda ſunt, procraſtinationibus conualeſcant.* hucuſque libellus Acacio offerendus. Cunctus huic fuerat & ille oblatus Romano Pontifici libellus Ioannis Epiſcopi Alexandrini, ſed deſideratur in codice: vbi tamen ſcriptus extat huiuſmodi eiuſdem Felicis Papæ libellus ad Zenonem Imperatorem:

*ſubiectis.

XLVIII. LIBELLVS AD ZENONEM IMP. *Cùm ſibi redditam pacem, compreſſis per vos hæreticis, qui ſentiebantur attolli, vniuerſalis gauderet Eccleſia, & veſtræ pietatis Imperium etiam de inimicis ſub victoriam reportâſſet, & per vniuerſum Orbem pro ſalute veſtræ ſerenitatis oratio cunctorum oraret ad Dominum ſacerdotum; & veſtra pietas fidei cuſtos & defenſor Orthodoxiæ ſub æterni Regis propitiatione regnaret: quando venerandi apices veſtri, & eo proxima currens de ſacro pectore frequenter auctoritas, inter gaudia recepti Imperij, Petrum conuerſatum cum hæreticis, & parricidæ illi Timotheo cohærentem, à prophanis (quia nec ab alijs fieri poterat) Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopum, quantum ſibi exiſtimauerat, ordinatum, acceptiſſimi Deo præceptione deiecerat; & tyranni literas, quas in euerſionem contra fas & ſacroſancti Chalcedonenſis Concilij definitiones mens inſana dictauerat pro regni ſui commendatione, euacuauit: Ita deinde dictas ordinationes eius, vel etiam Timothei, vtpotè hæreticorum, irritas fecit; atque eos, quantum extra Eccleſiam fuerint, indicauit*.*

*indicauit

XLIX. *Sed nunc eum, mutatis omnium gaudijs in mœrorem, Eccleſiæ Alexandrinæ cognouimus præſidere. Quod ſi verum eſt (vt Chriſtianiſſimo Principi coram Deo fiducialiter eſt faciendum) diuino iudicio ſuggerimus, non leuiter eſſe penſandum; niſi certis remedijs, quod in contumeliam Dei factum dicitur, fuerit expiatum. Et quia (ſicut ſcriptum eſt [a]) vnius membri totum corpus patitur paſſiones, in perſona eius Orientis concutiuntur Eccleſiæ. Quod fratrem & Coëpiſcopum meum Conſtantinopolitanum reſpicit ſacerdotem; aduerſus quem in Conuentu mihi ab eo, cuius ſedem præfatus fertur tenere, libellus oblatus eſt, quem deplorationibus meæ humilitatis annexui; vt idem frater & Coëpiſcopus meus Acacius (ſicut Eccleſiaſticis neceſſe eſt, & veſtris legibus fieri decet) ad hæc, quæ de ſe peruidet intimari, apud beatiſſimum Petrum Apoſtolum diluere obedienter procuret, nec vllo modo exiſtimet differendum. Qui ſi (quemadmodum confidimus) benè conſcius eſt, Apoſtolicum non debet iudicium cum conſacerdotibus ſuis & moderationem abijcere; vt ſacerdotalibus actibus & comprobatione fideli comprobatus, primùm Chriſti Domini noſtri, atque omnium ſacerdotum, ac deinde pietatis veſtræ gratia glorioſius perfruatur.* hucuſque Felicis Papæ libellus ad Zenonem contra Acacium. Deſideratur verò (vt diximus) Ioannis Epiſcopi Alexandrini libellus, quem his ſe ſubieciſſe idem Felix affirmat. Cæterùm non ad Zenonem ſolùm atque Acacium per eoſdem legatos datæ ſunt literæ Conſtantinopolim, ſed etiam ad clericos monachos, atq; laicos Orthodoxos, vt teſtatur Liberatus Diaconus[b]. Intueris Romani Pontificis amplitudinem, & eminentem ſubijci neſciam auctoritatem: dum licèt Romæ ſub Erulis Arianis propemodùm captiuus ageret, Zenonem Auguſtum grauibus coërcet epiſtolis, & Cōſtantinopolitanum Antiſtitem ad dicendam cauſam Romam vocat (vt ex recitatis modò Felicis Papæ ſcriptis vidimus) cùm Alexandrinus Patriarchæ apud ipſum Romanum Pontificem, oblato libello, eundem accusâſſet Acacium, probè ſciens maiorū exemplo Romanum Pontificem vniuerſali Eccleſiæ iudicem præſidere.

*1. Cor. 3.

b Liberat. Diacon. in Breui. c. 18.

L. QVA PERHANC LEGATIONEM IS LIX PAPA PERFICI VOLVIT. Meminit etiam earundem literarum & aliarum (vt diximus) Euagrius, qui de accuſatione Ioannis Alexandrini Epiſcopi contra Acacium in oblato libello contenta agit; & quomodo Felix Papa, vt Romam ad dicendam cauſam idem Acacius mitteretur, à Zenone petierit, narrat, res omnes paucis complexus poſt refutatum Zachariam hiſtoricum rem tantam ambagibus obuoluentem, ait enim[c]: *Cùm libelli à Ioanne Felice contra Acacium, quod contra Eccleſiæ ritum cum Petro communicauerat, deq; alijs facinoribus ab eo contra canones admiſſis dati erant: mittuntur à Felice ad Zenonem Vitalis & Miſenus Epiſcopi, vt eius auctoritate tum Concilium Chalcedonenſe firmaret, tum Petrus vt hæreticus Epiſcopatu pelleretur, tum denique Acacius mitteretur ad ipſum Felicem, rationem de rebus, quas Ioannes, cuius mentionem ſæpè fecimus, eobiectaſſet, redditurus. At priuſquam Vitalis & Miſenus venere ad Imperatorem, Cyrillus, qui monachis, quos ἀκοιμήτους, hoc eſt, Inſomnes, vocant, præerat, mittit ad Felicem, quòd eum, cùm tam grauia peccata contra veram fidem commiſſa eſſent, inſimularet tarditatis.*

c Euag. lib. 3. cap. 18. 19. 20.

LI. DE TEMPORE PERSECVTIONIS AFRICANAE ECCLESIAE. *Felix igitur ſcribit ad Miſenum, vt nihil antè moliretur, quàm eſſet cum Cyrillo collocutus, & ab eo, quid eſſet faciendum, didiciſſet. Aliæ prætereà literæ à Felice tum ad illos, tum ad Zenonem ſcriptæ fuerunt, quibus eos non modò Concilij Chalcedonenſis, verùm etiam perſecutionis in Africa regnante Theodorico excitatæ, in memoriam redigeret.* hæc Euagrius: ex quibus intelligis pariter, hoc anno poſtquam legati ab Vrbe receſſiſſent, fuiſſe excitatam in Africa aduerſus Catholicos perſecutionem, de qua legatos iam profectos literis admonuiſſet: agemus de ea inferiùs, poſtquam quæ reliqua ſunt rerum geſtarum anni huius Felicis Papæ aduerſus alios hæreticos fuerimus proſecuti: Quæ verò Conſtantinopoli per legatos acta ſint, ſuo loco dicentur inferiùs anno ſequenti.

LII. PETRVS FVLLO EPISC. ANTIOCH. DAMNATVS ROMAE. Hoc itidem anno primo Felicis Romani Pontificis, in eadem, quæ eſt habita (vt dictum eſt) Romæ Synodo, ab eodem Romano Pontifice damnatus eſt Petrus Fullo, idemque dictus & Cnapheus, intruſus poſt eiectum Calendionem Epiſcopus Antiochenus. Hæc quidem hoc ipſo anno facta eſſe, certum inde argumentum deducitur: quòd cùm in literis de eiuſdem Petri damnatione mentio habeatur de Acacio adhuc præſidente Epiſcopo Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, quem tamen conſtat anno ſequenti à Felice exauctoratum; affirmandum eſſe videtur, id factum hoc anno, nec dicere poſſumus eadem facta eſſe anteà; cùm hæc ipſa non ab eius prædeceſſore Simplicio, ſed à Felice Papa peracta eſſe noſcantur, qui (vt vidimus) hoc anno ſedere cœpit. Magna profectò iſta Romæ habita Synodus dicenda eſt, in qua tantum ſunt geſta: cui Romanus Pontifex præfuit Iudex, aduenit Alexandrinus Patriarcha actor, citatuſq; ex ea Conſtantinopolitanus Epiſcopus, & Antiochenus depoſitus ſententiam damnationis accepit.

LIII. Acturi igitur de Petri funeſtiſſimi hæreſiarchæ damnatione hoc anno Romæ in Concilio per Romanum Pontificem Felicem facta, quæ anteà præceſſerunt, in medium adducemus. Accidit autem, vt (quod dictum eſt) nefa-

rius

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rius Petrus, quam occultâſſet in corde, repentinâ eruptione in conſpectum omnium hæreſum propalaret, nempè ſe non Eutychianum eſſe, tantùm hæreticum, ſed & Apollinariſtam atque Sabellianum: dum ſacro Triſagio cani ſolito in omnibus Orientis Eccleſijs, diuinitùs hominibus impertito, quo dicitur, SANCTVS DEVS, SANCTVS FORTIS, SANCTVS IMMORTALIS, addidit iſte in hæc verba blaſphemiam, QVI PASSVS ES PRO NOBIS, adſcribēs nimirùm paſſionem ſanctiſſimæ Trinitati: de quo his literas ſcripſit ad Acacium Conſtantinopolitanum Epiſcopum: Quo quidem portento edito, ſe primò detexit eſſe Eutychianum; dum vnam in Chriſto affirmabat eſſe naturam: & cùm diceret carnem de cœlo allatam, in Verbum eſſe conuerſam, ſe eſſe docuit ſectatorem Apollinaris: cùm verò æquè Patri ac Filio, Spirituque ſancto paſſionem coniungeret, planè Sabellianum ſe aperuit, aſſerens vnam tantùm totius Trinitatis eſſe perſonam: ſicq; maiori cumulo redderet proſcriptum diu ante nefandum Theopaſchitarum errorem, excitans & blaſphemias Marcionis, Valentini, Manetis, & aliorum iam diu ante eiectorum hæreticorum.

LIV. SYNODVS CONST. CONTRA PETRVM CNAPHEVM.

Hæc autem vbi audierunt Orthodoxi Epiſcopi Orientales, horreſcentes tot blaſphemiarum inuolucrum inſtar ſerpentum mutuis ſpiris inter ſe inuicem glomerantium, continuò exclamauêre. Sed & Acacius Epiſcopus Conſtantinopolitanus ſimulac ad ſe ſcriptam ab ipſo Petro accepit horrendam blaſphemiam, quantumlibet eidem Petro nonnihil ſtuduiſſet; tamen ad dementem hominem curandum, congregauit Conſtantinopoli Concilium Epiſcoporum, vbi ab omnibus inſanus ille Petri damnatus fuit error. Meminit eiuſdem quoq; Synodi Conſtantinopoli ab Acacio celebratæ Felix Papa in poſteriori epiſtola ad ipſum ſcripta. Extant adhuc & epiſtolæ [a] à diuerſis Epiſcopis ad eundem impoſtorem protinùs datæ: & inter alias quam ſcripſit Antheon Epiſcopus Arſeniotis in Ægypto: cuius eſt exordium: *Multum valdè anguſtiatus ſum ſuper te, frater honorandiſſime; quoniam per te magnum oritur ſcandalum, &c.* meminit de ipſius ad Acacium, quibus attruebat hæreſim, literis.

a Habentur tom. 2. Conc. in veteri editione in exordio V. Synodi, in recentiori edit. in Felice Papa. habet eaſdem citatus ſuperius codex Vaticanus.

LV. Scripſit etiam ad eumdem Petrum Fauſtus Epiſcopus Apollonidis, necnon Pamphilus Epiſcopus Abydorum, aliàs Amidenorum, ab Acacio Epiſcopo Conſtantinopolitano, vt id faceret, perſuaſus: nam inter alia: *Multâ* (inquit) *triſtitiâ repletus hæc tibi addo ſimul cum Acacio inducente me ad hoc ipſum, &c.* Sed & Aſclepas Tralliarum Antiſtes id ipſum nauiter operatus eſt, ſcribens pariter ad eum epiſtolam, cuius eſt principium: *Ecce, cariſſime, repletus eſt mundus ſcandalo, &c.* Acacius quoque, qui auctor illi extiterat reaſſumendæ ſedis Antiochenæ, facti ſerò pœnitens eundem Petrum grauiſſimis admonuit literis, quæ ſic incipiunt: *Obſtupuit cœlum, & tremuit terra: mota ſunt autem & fundamenta ſanctæ Dei & Apoſtolicæ Eccleſiæ: luctus & ploratus apprehendit ſacerdotes Chriſti in his, quæ ego & ſancta Synodus hic ſecundùm Dei nutum congregata audiuimus fieri à te, frater. &* quæ ſequuntur. Qui autem poſt epiſtolam ſubijciuntur in codice anathematiſmi, non ſunt ad Acacij epiſtolam ſpectātes, ſed ad epiſtolam Quintiani Epiſcopi Aſculani, vt præ ſe fert Vaticanum Latinum peruetus exemplar, in quo & dictæ epiſtolæ emendatiores leguntur, quàm in ſecundo tomo Conciliorum, vbi editæ reperiuntur cum alijs ab Occidentalibus ad eundem datis.

LVI. ROMANA SYNODVS IN CAVSA PETRI CNAPHEI.

Tantæ autem blaſphemiæ tonitruus, qui Orientem feriendo concuſſit, non ſine horrore in Occidente auditus eſt. Cùm & Romanæ vrbis Felix Antiſtes ſuper vniuerſum gregem inuigilans his quantocyùs occurrere feſtinauit, collectaque Synodo nefandum damnauit errorem, ſcripſitque ad eundem Petrum literas, quibus eius ſingulas blaſphemias confutauit: ſed primò cum luctu ita exorditur: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? &c.* in fine autem de collecta Synodo meminit verbis iſtis: *Hæc tibi ſcripſi vnà cum præſenti Synodo conueniens te coram Deo & ſanctis Angelis, vt ea doceas, & nobiſcum ſentias, vt illibata fides noſtra permaneat ad gloriam Dei.* Addidit & poſt has alias commonitorias literas, vt idem Papa teſtatur in ſententiæ libello aduerſus eundem Petrum conſcripto: ſed cùm has omnes deſpexiſſet, damnationis in eum ſententiam irrogauit, vt ſuo loco dicemus.

LVII. At non Felix tantùm in Occidente, ſed (vt dictum eſt) & Quintianus magni nominis Aſculanus Epiſcopus id ipſum præſtitiſſe ſcribens & admonens nefarium Petrum de illatis ab eo in Deum blaſphemijs. eſt eius epiſtolæ exordium [b]: *Multifariam multiſq; modis à veritate, cariſſime, declinâſti, &c.* poſt multa autem duodecim appoſuit anathematiſmos, qui ſic ſe habent:

b Extat apud tom. 2. Concil.

LVIII. *Omnis, qui dicit vnam naturam Dei Verbi & carnis, non duas vnitas indiuiſaſq; damnetur.*

*Si quis confundit duas Chriſti naturas, dicens Deum paſſum carne, & non paſſum Chriſtum carne, ſecundùm Apoſtolum; damnetur.*

*Si quis impaſſibilem & immortalem Deum Verbum dicit conuerſum in paſſionem & mortem, & hoc non reddit eius carni: damnetur.*

*Si quis nomen Triſagion, hoc eſt, ter ſanctum, dicit propter nos crucifixum, & non Dominum Ieſum Chriſtum Filium Dei vnigenitum; damnetur.*

*Si quis poſt vocem ter ſanctam, Deum dicit crucifixum propter nos, & non potiùs vnum Filium, cui in medio ter ſancta vocis hymnus dicitur; damnetur.*

*Si quis hominem dicit, qui pro nobis crucifixus eſt, ſiue Deum, diuidendo naturas, & non eas copulando in crucifixione eius; damnetur.*

*Si quis dicit duas perſonas, ſeu ſubſiſtentias, & non potiùs duas naturas in vnam perſonam & vnam ſubſiſtentiam concurrentes; damnetur.*

*Si quis alterius ſubſtantiæ dixerit carnem Domini à carne noſtra, & non potiùs nobis conſubſtantialem abſque peccato; damnetur.*

*Si quis Deum hominem, & non magis Deum & hominem dicit; damnetur.*

*Si quis dicit creatum Patris Verbum, & non magis eius carnem; damnetur.*

LIX. *Si quis dicit conſubſtantialem carnem Domini Deo & Patri, & non potiùs Deum Verbum; damnetur.*

*Si quis dicit ſine mente & ſine anima Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & pro ea habuiſſe diuinitatem, & ex hoc dicendum paſſum carne Deum, & non magis mentem cum anima rationali humanatum Deum Verbum, & impaſſibilem dicendum eundem diuinitate, humanitate verò paſſibilem; damnetur.* hactenùs Quintiani anathematiſmi. Qui autem apud ſecundum tomum Conciliorum poſt hos duodecim ſequuntur octo alij anathematiſmi, non ſunt Quintiani Epiſcopi Aſculani, ſed Aſclepiadis Trallenſis Antiſtitis, vt apparet ex codice Vaticano: non enim plures, quàm duodecim fuerunt Quintiani anathematiſmi, de quibus ipſe mox iſta pergit dicere:

LX. *Has duodecim damnationes direxi tibi, vt metuens horum iudicia, recedas à tua ſcelleſtiſſima nouitate: Sciens, quia oportet nos ſequi relationem ſanctiſſimi Epiſcopi Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Procli: quomodo cùm in campum concurreret cum omni populo ſuo inundante pro terræmotu, eadem fluctuante ciuitate, & luctu ab omnibus emiſſo, repente puer in aëra à quadam virtute eleuatus eſt, eique præceptum eſt, vt in Letania diceretur Triſagion, hoc eſt, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miſerere nobis, & hæc denunciare Epiſcopo iuſſus eſt, qui per tres horas ſtetit in tribunali circa pedes eiuſdem Epiſcopi. & hoc narrante puer. Et iſtam Letaniam facientibus, ceſſerunt illi terrores. Sic itaque & tu Letaniam facito, & ceſſabit à te ira prolata: alioquin veniet ſuper te Felicis Papæ noſtri damnatio. Cuſtodiat autem Deus Mundum à ſcandalis nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum, Amen.* hactenùs de his Quintiani epiſtola reddita ex codice Vaticano: quæ licèt ſuo loco, eo anno, quo acciderunt, fuerunt enarrata; ob prodigij excellentiam haud piguit ex eiuſdem Quintiani epiſtola hîc repetere. Sequebatur in codice poſt Quintiani literas epiſtola Iuſtini Epiſcopi in Sicilia ad eundem Petrum blaſphemum data, quæ incipit: *Oportet armari militem aduerſus hoſtem, &c.* vbi poſt nonnulla hanc ſalubrem admonitionem apponit: *Quieſce ergo ab hac impietate ſæuiſſima, non alijs ſis ſcandalum, & non cri-*

caus

*cauſa perditionis ſimplicium hominum: ne forte Pontifex noſter Felix ſecundum canones te condemnet: & nihil tibi proderit dicenti: Ego benè hæc appoſui, dum Crucifixum in voce Triſagion ſum confeſſus, &c.*

LXI. Sed in eodem codice Vaticano extat epiſtola Flacciani Epiſcopi Rhodopenſis hactenùs nuſquam edita. Fuiſſe hic vnus videtur ex illis Epiſcopis, qui ex Ægypto Romã cum Ioanne Alexandrino venerunt, atq; Romano Concilio interfuerunt. habentur in ea nonnulla ſuo ipſius exordio, quomodò hic nefarius deceperit Acaciũ Conſtantinopolitanum Epiſcopum, vt reſtitueretur in ſedem. Reddamus hîc aliqua ex ea, ab ipſo epiſtolæ initio inchoantes, quod eſt huiuſmodi:

LXII. EPISTOLA FLACCIANI EPISC. RHODOPENSIS AD PETRVM.

*Venatores beſtiarum iracundia non terrentur, neque ſanguineis earum oculis perturbantur, ſed potiùs ex aduerſo prouocant eas qui confidunt in iaculis, quæ ſecum habere noſcuntur: Et veritatis indagatores non metuunt Regum & Principum hæreticorum iracundias, ne qui inflammant in ſubuerſionem oculos ſuos; ſed accedunt ad eos viriliter, ſi quomodo poſſint ex ijs cibum Deo venari, cùm faciunt furorem ceſſare eorum quem habent de mala conſcientia, ſi quando ſancto Spiritui reluctantur. Hirundo dum non prævalet in hieme conſiſtere, apprehendit ea loca, vbi tranquillus aër eſt: & pij viri hæreticorum fluctus reſpicere non valentes, illuc confugiunt, vbi fides temperata conſiſtit.* Præfatur iſta Rhodopenſis, quòd in adeò horrenda tempeſtate, quâ Oriens obriguiſſet algore perfidiæ, ipſe Romam ad Apoſtolicæ ſedis tranquillitatem inſtar hirundinis commigràſſet. Sed quomodo ipſe feram beſtiam ſe appetere dicat, eiuſmodi eum exagitans inuectiuâ demonſtrat:

LXIII. *Quis eſt igitur, qui procellas excitauit hæreſum, niſi tu, qui ſolicitâſti aures Principis innocentis, & falſis literis cor Pontificis erexiſti, id eſt, Acacij, vt ad communionem te ſuſciperet, dicendo: Non mihi fiat vlteriùs crucem apponere Trinitati, prædicando tantùm Chriſtum crucifixum. Cui enim non videatur errare ſermo impudentiæ? Vbi ergo ex hoc declinans, remaneam non ſuſceptus à vobis? Et vbi ſunt viſcera Chriſti ad Petrum?* ſunt hæc verba olim ſcripta ab ipſo Petro ad Acacium, cùm ſe ſimulauit Catholicum eſſe, vt receptus in communionem ab ipſo, ſedem, ex qua exciderat, recuperaret. Pergit verò Flaccianus: *Hæc & alia ſimilia dicens, non audis baculum exactoris: inſtitiſti in propoſito tuo, vniuerſiſq; errores diſtribuis. At enim cribratus es canonicè à Præſulibus noſtris, id eſt, à Principe Apoſtolorum Petro, cui Dominus ait*[a]*: Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlo. At nec hoc meruiſti, vt per dignam pœnitentiam relaxeris, in temetipſum ſtatuens, vt perſeueres in hac damnatione: Sed in hac vita ſpem habes tantummodò ſperare in Principibus, vt redeas, vbi dignè eiectus es à ſancta ſede; ideoq; perfectus es miſerabilior omnibus hominibus, tanquam minimè deſiderium habens ad Deum viuum & eius regnum cœlorum. Veruntamen noli fruſtrà puluere dealbari, quia irregulariter ſacerdotij principatum arripuiſti: neq; inſferis aduerſus nos piè recteq; prædicantes, &c.* pergit ipſe pluribus & quidem fortiter cõfutare eius blaſphemias.

[a] Mat. 16.

LXIV. PETRVS PVLLO DETEGITVR ARIANVS.

Cùm enim inter alia profiteretur Petrus præ omnibus hæreticis Arium deteſtari: oſtendit ipſum eadem ſentire cum Ario: nam cum interdum excuſando diceret, ſe non affirmare Trinitatem eſſe crucifixam, ſed vnam ex perſonis eius, nempe Filium tantùm; ad hæc ipſe: *Cur (inquit) abhorres Arium, vt putes non quæ ſunt illius ſapere? Vbi apud te Conſubſtantialitas inuenitur, quæ apud illum nequaquam ſuſcipitur? Dixiſti enim: Vnum Trinitatis reor paſſibilem, ſed non Patrem, nec Spiritum ſanctum, ſed Filium Dei. Ecce factus es Arianæ hæreſeos à temetipſo conuictus, cùm hoc Arius dixerit: Quia ſi paſſibilis eſt Filius, Pater verò non, quomodo conſubſtantialis?* Ad poſtremum verò poſt eruditam ſatis aduerſus eum in longũ productam diſputationem hæc habet: *Reſipiſce, vigila, ne permaneas in iudicio Patrum: ſcis enim, quia neque Reges, neque poteſtates, neque principatus ſoluere te poterunt hoc vinculo, niſi conuictus relinquas temporalem dignitatem, ſedeasq; tamquam Iob ſuper ſordes extra ciuitatem. Hæc eſt ad te mea ſalutatio ſecundum Deum in Chriſto circa te, non ſecundum homines.* hactenùs ipſe.

LXV. Porrò ſcripta iſta ab eo ad Petrum videtur epiſtola, cùm iam ipſe Petrus à Felice Papa damnatus eſſet: id enim ſignificaſſe illis viſus eſt verbis: *Cribratus es canonicè à Patribus noſtris, id eſt, à Principe Apoſtolorum, &c.* cùm videlicet auditis adeò horrendis in Occidente blaſphemijs, ſimul cũ Romano Pontifice, qui collecti fuerunt Romæ Epiſcopi, aprum illum ſilueſtrem diuinæ Scripturæ & ſanctorum Patrum ſcriptis appetiuêre, confodereque illato in eum ab omnibus anathemate, obnitente in primis in eundem ipſo Romano Pontifice. Extat prolata in Petrum ipſum blaſphemum Felicis Papæ ſententia in dicta Romana Synodo quadraginta duorum Epiſcoporum hoc anno habita; quæ ſic ſe habet[b]:

[b] Fel. ep. 1. ad Petr. Rom. Pont. & Epiſt. 2. Conc.

LXVI. FELICIS PAPÆ SENTENTIA DE DAMNATIONE PETRI ANTIOCHENI.

*Quoniam peſtiferis doctrinis imbutus, & impietate verborum, non curâſti ſequi præordinatos ſanctos Patres, qui ſedem beatæ memoriæ Ignatij glorioſi martyris ordinauerunt: quò etiam cùm ſis indignus, neſcio quemadmodum adeptus fueris principatum, & ſceleribus tuis profanis, impijſq; dogmatibus inferre putaueris Eccleſiæ Catholicæ nouitatem, vt non propter nos Chriſtum crucifixum dicas, ſed paſſionem impaſſibili Deo iniquiſſimè intuliſti, & immortali Spiritus mortem apponere præſumpſiſti: Nec exterritus es, quæ tibi à ſanctis Euangelijs* & Apoſtolis & viris probatiſſimis & beatiſſimis Patribus tradita ſunt, ſed callidis hæc commentis aſtruere, & ſenſum proprij languoris, & huius hæreſeos ſcandalum ſimplicioribus inculcare, ita vt nec ſimilis prioribus videatur hæreſibus, ſed multipliciter potiùs hæc tranſcendant: Nec ambulare in veritate, nec noſtris duabus epiſtolis aurem voluiſti accommodare.* Vides duas præceſſiſſe epiſtolas à Felice datas, præter alias ad eundem à prædeceſſoribus ſcriptas, & antequam ſententiam in eum ferret, à Simplicio Papa anteà condemnatum. Sed pergit.

* Euangelijs.

LXVII. IVSTA PERCVLITVR SENTENTIA HÆRESIARCHA.

*Nunc igitur ſum exorſus aduerſus te proferre ſententiam (magis autem Princeps Apoſtolorum Petrus, qui inter ſanctorum Apoſtolorum præconia præco veridicus eſt) & non ſolùm aduerſum te, qui eius nomini non conſentis, neq; fidei parem te eſſe cognoſcis, quoniam vltra modicum ab eius intentione rectâ inuiolabilis fidei deuiâſti, ſed etiam aduerſus eos, qui non erubeſcentes Euangeliorum venerabiles characteres, neq; horum ſequacium Apoſtolorum perfectorumq; virorum doctorum ſermones, inconſtanti ſententiâ, iniquis traditionibus tuis incumbunt, ita vt mala ſecta deteſtabiliter re verâ ſequantur amaritudinem, nec huiuſmodi execrabilem auerſantur impietatem. Dicimus ergo tibi, ſicut etiam illis*[c]*: Quoniam dilexiſti malitiam ſuper benignitatem, iniquitatem magis quàm loqui æquitatem: dilexiſti omnia verba præcipitationis & linguam doloſam: propterea deſtruet te Deus in finem, non ſolùm ab Antiochena Eccleſiæ ſede, ſed etiam ab omni ciuitate.*

[c] Pſal. 51.

LXVIII. DAMNATVR AB OMNIBVS PETRVS ANTIOC.

*Etenim ſit in te hæc fixa damnatio à me & ab his, qui ſub me conſtituti Epiſcopales ſedes gubernare noſcuntur, & Acacio Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ paſtore, & venerabilibus Epiſcopis eius iuri ſubiectis, tanquam & ipſis minimè conſentientibus tuis commentis. Sic aliquando ſiquidem dixiſti, Trinitatem propter nos crucifixam, & non Chriſtum: Aliquando verò immortalem ſpiritum, Manichæi ſecutus errorem: Aliquando autem hæc fugiens, noſtrorum ſermonum pigritiibus increpatus, Chriſtum poſt immortalem Spiritũ paſſionem ſuſtinuiſſe dixiſti, ſicut Paulus Samoſatenus & Neſtorius, vnum Filium diuidentes in dualitatem Filiorum. Et cùm his* putâſti non immorandum, ad peiora veniſti, vt hymni, quos Cherubim cum tremore Trinitati inceſſanter emittunt, ad Trinitatem glorificandam non referantur; ſed vt totus hymnus ad Filium deducatur, confirmare volens ſententiam velut cancrum ſerpentem, quam aduerſus ſimplices extuliſti: & hinc in omnium hæreſium laqueos præcipitatus es, à veritate declinando, nec prædicando propter nos Chriſtum crucifixum vnigenitum Dei Filium, qui in medio Patris & ſancti Spiritus glorificatur.*

* hic quos ſit ſectatus hæreticos Petrus.

LXIX. *Quid enim hoc erit damnabilius, quàm cùm à vobis Pater & Spiritus ſanctus fiat glorioſus, calumnia Seraphim infertur, quàm cùm non Trinitatem glorificare credatur, cùm dicit: Sanctus, ſanctus, ſanctus, ſed ſolam perſonam? Quæ infernalis hæreſis ita crudeliter vt vos, inuerecunda fuit? Veruntamen adhuc in iſta diſcurrentes nouitate, vſque ad fundamenta blaſphemiarum Dei pertingitis: Filium Patrem & Spiritum ſanctum dicentes, Sabellium ſectamini, & confuſionem inducitis, & Trinitatis confeſſionem pariter abnegatis, in qua baptizati ſumus, & credimus & fatemur. Quis ergo non lugeat talia dicentes de ſancta & inuiolabili Trinitate? Hoc mihi valde conuenit allegare, & planctum ſufficienter effundere, cùm in hoc ſimplicium animæ fuerint captiuatæ, quæ*

tam

tam rem impiam diuulgauerunt: quos etiam extraneos iudicamus à recta fide, Eccleſiaq; Catholica, & communione glorioſiſſimi noſtri Principis Petri, qui[a] claues regni cœlorum à noſtro Saluatore percepit.

[a] Matth. 15.

LXX. BLASPHEMIA ADIECTA HYMNO.

*Qui ergo voluerint eſſe communicatores Apoſtoli, eius quoque doctrinam ſequantur, docendo & credendo Chriſtum propter nos crucifixum, neq; eum negando ſicut Petrus, qui nuper damnatus eſt, eo quòd prauè & nefariè in hymno Triſagion nouiter introduxit, Qui crucifixus eſt propter nos. Scientes, quia non Trinitatem crucifixam ab Apoſtolis accepiſtis, neque Patrem, neq; Spiritum ſanctum, niſi carnem Chriſti, Filium Dei vnigenitum ſolum. Igitur fugite ab huiuſmodi communione ſacrilega, & ero veſter ſocius atq; communicator, & vos quoq; mei, peſte doloſa à veſtra rectitudine procul expulſa. Cuſtodite, Chriſti diſcipuli, mei autem filij, traditiones, quas à ſacris voluminibus accepiſtis.* hactenùs excommunicationis in Petrum & eius ſectatores ſententia miſſa in Orientem.

LXXI. [b] Fel. ep. 4. to. 1. epiſt. Rom. Pōt. FELIX PAPA EXCITAT ZENONEM CONTRA PETRVM.

Adiecit his litteras Felix Papa ad Zenonem Imperatorem, monens eum, vt caueat à communione Petri iam iudicio Eccleſiaſtico condemnati. ipſę autem ſic ſe habent[b], vt in te ſeria Romanum Pontificem decuit:

*Conuenit, tuæ clementiæ rerum ordinem nunciare geſtarum pro tranquillitate Imperij ſerenitatis tuæ. Et ego ſuſcipias precem meam, ac ſi ipſe præſens eſſem benignis auribus tuis, vt Chriſtianiſſimus Imperator; & nequaquam arbitretur pietas tua illum puro vos corde diligere, quicumque te pacem cum Deo habere non vult. Quoniam verò fideli mente credidiſti, nec ambigis, & temporalis ſolij poteſtatem & æternæ vitæ retributionem ſuperno ex momento pendere: per noſtram etiam paruitatem dignare ſuſcipere venerabilem ac diuinam beatiſſimi Petri confeſſionem, Apoſtolorum ſcilicet Principis, cui & regni claues à Saluatore traditæ ſunt[c]: qui etiam præparabit Chriſtianiſſimo Imperio veſtro locum in cœlo cum ſanctis Angelis: qui que immutabilem & immaculatam fidem in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Dei Filium vnigenitum primus exponens, à Saluatore ipſo beatus dictus eſt. Nam cùm ipſe dixiſſet ad Dominum[d]: Tu es Chriſtus Filius Dei viui: ab ipſo audire meruit: Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt: & ſuper iſtam confeſſionem ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.*

[c] Matth. 16.

[d] Matth. 16. PETRI CONFESSIONE FIDES STABILITA.

LXXII.

*Cùm ergo Saluator dixerit, quòd portæ inferi non præualebunt aduerſus ipſius Eccleſiam, vt ab ea ipſius denominationem tollant, quæ dicitur Chriſtus Ieſus & Dei omnipotentis Filius: Petrus Fullo primogenitus & diaboli filius, qui ſanctæ Antiochenæ Eccleſiæ indigniſſimè ſe ingeſſit, ſanctamq; ſedem Pontificatûs Ignatij martyris polluit, qui Petri dexterâ Epiſcopus ordinatus eſt, Euſtathijq; confeſſoris ac præſidentis trecentorum decem & octo Patrum, qui in Nicæa conuenerunt, auſus eſt dicere, non oportere Chriſtum etiam Dei Filium nominare ſecundùm diuinam Saluatoris ſanctionem & traditionem diuinarum Scripturarum, Patrumq; expoſitionem, ſed vnum de Trinitate paſſionem pro nobis pertuliſſe in ſubſtantia Deitatis, iuxta Arij, Apollinaris, Sauoniiq; blaſphemiam, volens hâc voce euacuare ſalutarem Domini incarnationem, ſecundùm quam Chriſtus & paſſionem ſubijt (dicitur[e] enim vnus ex nobis, qui Abrahæ ſemen apprehendit) Augere quoque Deorum pluralitatem nititur: quippe ſenſus eius tres introducit Deos, vnum mortuum, duos viuentes. Soluit etiam Conſubſtantialis nomen, ſacraſq; abijcit Synodos Nicænam, Conſtantinopolitanam, & Chalcedonenſem: ſanctam quoq; Mariam Virginem nequaquam admittere deprehenditur: Si enim non ex ea Verbum incarnatum homo factum eſt: quæ neceſſitas Virginis? & quare ad eam Gabriel: Quod ex te naſcetur ſanctum vocabitur Filius Dei, & dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid Patris eius?*

[e] Hebr. 3.

LXXIII DE BLASPHEMIA TRISAGIO ADDITA.

*Poſt hæc autem omnia impia, & blaſphemiæ ſuæ præſumpta, & deprauationem Triſagiæ deprecationis, cùm illi addere voluit: Qui crucifixus eſt pro nobis: multa inconuenientia effecit, multumq; à nobis & in Chriſto dilectis fratribus noſtris, qui in Oriente ſunt, & à venerabili Acacio veſtræ regalis & à Deo amatæ ciuitatis Archiepiſcopo admonitus, conuerti noluit. Quapropter nunc ſancta Dei Eccleſia maternis te vocibus, vtpotè ad excellentem eius filium alloqui non ceſſat: O à Chriſto amate Imperator, meæ venerabilitatis vinculum, in quo multitudines Fidelium conſtringuntur, diſſolui non permittas. Domini autem Chriſti & vnigeniti Filij Dei laudationem tranſgredi non permittas, quæ & veſtram ciuitatem periclitantem ſaluauit: ſed tanquam Angelorum traditionem incontaminatam conſerua, & Petrum Arianæ ſuperſtitionis ſequacem ab Eccleſia Antiochena expelle.*

LXXIV

*Quæ ex cauſa Petrus ſcidit veſtem meam deſuper contextam? Deus & Pater mandauit Principi Apoſtolorum, quid vocarent Filium[f]. Eius vnigenitus illum in confeſſione primus Apoſtolorum fundauit me. Sanctus Spiritus quotidie teſtatur mihi dicens[g]: Non iudicaui me ſcire aliquid, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. Si autem inimici, increduli, inſidiatores, qui extra vitem ſunt, & qui vnigenitum Filium Dei mactauerunt, lapidauerunt[*], & ligno crucis affixerunt, veſtem ſuam non diuiſerunt; & Petrus fidei meæ veſtem dirupit? Portæ inferi non præualuerunt aduerſus me; & Petrus tentat meos muros demoliri?*

[f] Matth. 16.

[g] 1. Cor. 2.

[*] lanceauerunt.

LXXV.

*Ego, piiſſime Imperator, te de Imperio expulſum rurſus introduxi, & malignos & inobedientes meis diuinis dogmatibus dedi pro ſepultura tua, viam quoque potentiæ aperui ante te; inimicos tuos percuſſi vnà cum iniquo eorum dogmate, antiquam potentiam exquiſiui tibi à Deo in altis regnante, ex quo & regnare ſuſcepiſti.*

*Reſpice ad prædeceſſorem tuum piiſſimum Imperatorem Marcianum, & illius fidem libenter amplectere: Hæreticam tyrannidem Petri quàm citiſſimè eradica: Valentinis & Eutycheris diſcipulum expelle & à ciuitate ſimul & Eccleſiaſtico regimine, & à dignitate hierarchica deiectum eſſe ſancito.*

LXXVI

*Conſpice, ſanctiſſime fili & Imperator inuictiſſime, qualis in Chalcedonenſi Synodo indubitabilis defenſio fuit, & quibus expugnauit Eutychetem[m], & diuulgationes hæreticæ doctrinæ Petri expedias. Hæc legat ſancta Dei Apoſtolica & Catholica Eccleſia, vt ab ipſa propter prædictas cauſas depoſitum ad communionem non ſuſcipias, ſed per diuinos apices veſtræ ſerenitatis ab Antiochiæ confinio propellite. Pro ipſo autem conſtituite virum operibus ſacerdotium ornantem, cuſtodemq; diligentem ſanctæ Chalcedonenſis Synodi, & eorum, quæ in ea firmata ſunt. Omnipotens Deus cuſtodiat veſtram potentiam in pace ſemper.* hactenùs Felix Papa ad Zenonem Imperatorem hoc quidem anno (vt dictum eſt) cùm adhuc non eſſet Acacius ab Apoſtolicæ ſedis communione reiectus, quod fieri contigit anno ſequenti. Cur verò de reſtitutione Calendionis nihil penitùs Felix agat; puto quidem rem interim diſſimulatam fuiſſe, quòd ille, licèt per calumniam, vnà cum alijs maieſtatis crimine factus reus, digno (vt apparebat) prætextu fuiſſet expulſus.

[m] Æſchinum. HORTATVR FELIX ZENONEM, VT PETRVM PELLAT.

LXXVII.

Ad hæc autem omnia de Petro hoc anno ſub Felice Papa conficienda, plures Synodi habitæ eſſe noſcũtur Actiones, in quibus primò ſcriptæ fuerint litteræ admonitionis ad Petrum: in dicta enim ad eum data tũc epiſtola de Synodo de ea cauſa congregata mentio habetur, poſtquam aliæ ſecutæ ſunt eiuſdem Pontificis ad Petrum ipſum litteræ eum iterum admonentis. Poſtremò verò illa celebrata eſt Actio, in qua recitata nuper eſt in Petrum lata ſententia: diutiùs enim detenti Romæ ea de cauſa Epiſcopi fuêre: niſi velimus dicere ad aliam Synodum iterum eos vocatos Romam eodem anno fuiſſe. Quæ autem Antiochiæ inter hæc acta ſunt, in compendio nuper citato ita leguntur: *Dum Acacij ſcripta legeremus, quæ de Petro & Ioanne Antiochenis ad Papam miſerat; exceſſus Acacij etiam in hac cauſa grauiſſima deprehenditur.*

PLVRES SYNODI ROM. ACTIONES.

LXXVII.

*Denique[*] memoratus Petrus Ioannem quendam presbyterum ordinauit Apameæ Epiſcopum; à quibus non receptus, venit Antiochiam, & Petrum Epiſcopatus ſui pellit auctorem, & inuadit eius Eccleſiam: quos ſimul iterum damnatos dicit Acacius, petens ab Apoſtolica ſede, vt ſi ad eum fortè confugerent, nec viſu dignos haberet: ſed ſi fortaſſe iam aliquam indulgentiam impetraſſent, irritam eſſe debere, nec eorum pœnitentiam recipiendam eſſe. Quod cùm ſatis Ioannes Alexandrinus Epiſcopus relegiſſet, tacere non potuit; quòd illum Ioannem, quem Acacius damnauerat cum Petro, & ſine remedio pœnitentiæ fecit ab Apoſtolica ſede damnari, poſt tot damnationes Tyriorum miſerat Eccleſiæ præſidere.* hæc ibi; quæ geſta eſſe ante decretam in Romano Concilio legationem, auctor oſtendit. Habet hæc etiam de damnatione Petri atque Ioannis Antiochenorum intruſorum Antiſtitum, deque Acacio promouente ad Tyriæ Eccleſiæ Epiſcopatum eundem Ioannem, Liberatus Diaconus[h]; eademque exactè explicata habentur in litteris[i]

[*] Etenim, DE ACACIO RECIPIENTE ET PROMOMENTE QVOS DAMNAVIT.

[h] Liberat. Diac. in Breu. c. 18.

[i] Fel. ep. 4.

Felicis Papæ anno ſequenti datis ad clericos & Archimandritas Conſtantinopolitanos, vbi etiam legitur, Ioannis ordinationem in Epiſcopum Tyri factam eſſe ab Acacio anno ſequenti, cùm de ipſo cœptum eſſet Romæ agitari iudicium. Quæ autem hæc ſecuta fuerint, dicemus ſuo loco. Iam verò in Occidentem clamor perſecutionis in Africa excitatæ nos reuocat.

LXXIX. PERSECVTIO IN ECCLESIA AFRICANA.

Hoc enim anno, qui ſecundus numeratur ab eo tempore, quo de ventura perſecutione in Eccleſiam Africanam oſtenſæ ſunt recitatæ ſuperiùs diuinæ prædictiones, cœpta eſt eadem Prouincia dirè ab Hunerico Wandalorum Rege exagitari: quod & datæ à Felice Papa hoc anno (vt vidimus) litteræ ad Zenonem Imperatorem ſignificant. Quæ igitur hoc anno, quæve ſequenti geſta ſint, ex Victore, qui aderat, proſequemur: ſic enim exorditur[a]: *Cenſet primò tyrannus iuſſione terribili, vt nemo in eius Palatio militaret, neque publicas ageret actiones, niſi ſe Arianum feciſſet. Quorum ingens numerus, ne fidem perderet, militiam temporalem abiecit. Quos poſteà domibus proiectos, omnique ſubſtantiâ ſpoliatos, in inſulas Siciliam & Sardiniam relegauit.*

[a] Victor. de perſecut. VVandal. lib. 2.

XXC. SPOLIA EPISCOPORVM VVANDALICVS FISCVS RAPIT.

*Quodam[*] tempore ſtatuere per totam Africam feſtinauit; vt noſtrorum Epiſcoporum defunctorum fiſcus ſibi ſubſtantiam vendicaret[*]: qui autem defuncto ſuccedere poterat, non antè ordinaretur, niſi fiſco regali quingentos ſolidos obtuliſſet. Sed hoc ædificium vbi conſtruere niſus eſt diabolus, ſtatim illud deſtruere dignatus eſt Chriſtus.*

[*] Quo eodem
[*] vendicaſſet

*Suggeſſerunt ei domeſtici ſui dicentes; Si iſtud firmauerit præceptio veſtra, noſtri Epiſcopi in partibus Thraciæ & alijs regionibus conſtituti peiora incipient pati.* Quod igitur hæc ipſi via præcluſa eſſet; ne quid contra ius faſque in Epiſcopos Catholicos agere videretur, quibus permotus Zeno Imperator eadem in ſibi ſubditos Arianos Epiſcopos irrogare potuiſſet; alijs dignis ſibi viſis prætextibus & iuſtis apparentibus cauſis perſecutionem adornare conatus eſt, nimirum inquirere diriſſimis quæſtionibus, ſi quæ reperire poſſet crimina Epiſcoporum. ſed quâ id arte quæſierit, ex eodem Victore audi:

XXCI.

XXCII. ENORMIS ET DIRA QVÆSTIO DE SACRIS VIRGINIBVS.

*Præcepit* (inquit) *deinde ſacras virgines congregari, dirigens VVandalos cum ſuæ gentis obſtetricibus ad inſpicienda & contrectanda contra iura verecundiæ verecunda pudoris, vbi nec matres aderant, nec aliqua matronarum: quas tremantes graui ſuſpendio, atque ingentia pondera pedibus alligantes, laminas ferri ignitas dorſo, ventri, mamillis, & lateribus apponebant. quibus inter ſupplicia dicebatur: Dicite, quomodo Epiſcopi vobiſcum concubant & clerici veſtri. Quarum acerbitate pœnarum plurimas tunc ſcimus extinctas eſſe: aliæ, quæ remanſerunt, cutibus areſcentibus, factæ ſunt curuæ. Nitebatur enim ſemitam inuenire, per cuius aditum publicam, ſicut fecit, faceret perſecutionem. Et ita faciens, nullo modo caſtigare potuit, quomodo Chriſti Eccleſiam macularet.* Cùm igitur nihil inuentum eſſet, vnde hac ex cauſa perſecutionem poſſet inferre, nec quieſcere valeret animo, quem furor & crudelitas aſſiduis ſtimulis ad cladem Orthodoxorum impellerent; iam vi agere cœpit, quod iure explere quomodo poſſet non inuenit; ſicque perſecutionem auſpicatur acerbam ſatis, quàm Victor cernens lugubri proſecutus eſt ſtylo, cùm ait:

XXCIII. FELIX EPISC. PARALYTICVS COGITVR SVBIRE EXILIVM.

*Quibus autem proſequar fluminibus lacrymarum, quando Epiſcopos, presbyteros, diaconos, & alia Eccleſiæ membra, id eſt, quatuor millia nongenta ſexaginta ſex in exilium eremi deſtinauit? in quibus erant podagrici quamplurimi, alij propter ætatem annorum lumine temporali priuati. In quorum numero beatus Felix Abdiritanus Epiſcopus habens iam in Epiſcopatu quadragintaquatuor annos, qui paralyſi morbo percuſſus nec ſentiebat quicquam, nec penitùs loquebatur. de quo nos maximè cogitantes, quòd non poſſet iumento portari, vt à ſuis Rex peteretur, vt ſaltem eum properè moriturum Carthagini eſſe iuſſiſſet, quod ad exilium nullâ poſſet ratione perduci. Cui ita fertur tyrannus cum furore dixiſſe: Si animali ſedere non poteſt, iungantur boues indomiti, qui eum colligatis funibus trahentes perducant, vbi ego præcepi. Quem ex tranſuerſo ſuper burdonem vinctum, quaſi quemdam ligni truncum toto itinere portabamus.*

XXCIV. ORTHODOXORVM EXILIVM.

*Congregantur vniuerſi in Siccenſem & Larenſem ciuitates, vt illuc occurrentes Mauri ſibi traditos ad eremum perduxiſſent. Superuenientes igitur Comites duo ſubtilitate damnabili blandis ſermonibus cum Dei confeſſoribus agere cœperunt: Quid vobis* (*inquiunt*) *videtur, vt ita pertinaces ſitis, vt domini noſtri præceptis minimè obtemperetis, qui eſſe poteritis in conſpectu Regis honorabiles, ſi eius feſtinetis facere voluntatem? Statim illis clamantibus & dicentibus ingenti vociferatione: Chriſtiani ſumus, Catholici ſumus, Trinitatem vnum Deum inuiolabilem confitemur: includuntur grauiori quidem, ſed adhuc latiori cuſtodiâ, vt nobis copia dabatur & introire, & verbum admonitionis fratribus facere, & diuina myſteria celebrare. Ibi & infantuli fuêre quamplurimi, quos genitrices materno ſequebantur affectu, aliæ gaudentes, aliæ retrahentes: aliæ gaudebant ſe martyres peperiſſe, aliæ morituros diluuio rebaptizationis nitebantur à confeſſione fidei reuocare. Nullum tamen tunc nec blandimenta vicerunt, nec carnalis pietas aliquem inclinauit in terram. Nam quædam quid tunc fecerit anus, breuiter referre delectat.*

XXCV. CHRISTIANA FOEMINA EGREGIVM EXEMPLVM.

*Dum iter ageremus cum Dei exercitu comitantes, & fortè magis noctibus promoueremur propter Solis ardorem: conſpicimus mulierculam ſacculum & alia veſtimenta portantem, manu infantulum vnà tenentem, atque his ſermonibus conſolantem: Curre, domine meus: Vide vniuerſos ſanctos, quomodo pergunt & feſtinant hilares ad coronas? Quam cùm nos increparemus, quòd importuna videretur, aut viris pro ſexu iungi, aut exercitui Chriſti ſociari. Reſpondit: Benedicite, & orate pro me, & pro iſto nepotulo meo: quia etſi peccatrix, filia ſum quondam Zuritanæ ciuitatis Epiſcopi. Cui nos: Et quâ ratione de tam longo itinere huc pergere demonſtratis? Quæ reſpondit: Cum hoc ſeruo veſtro paruulo ad exilium pergo, ne inueniat eum ſolum inimicus, & à via veritatis reuocet ad mortem. Ad hæc verba repleti lachrymis, nihil dicere valuimus, niſi vt voluntas fieret Dei.*

XXCVI.

*Sed vbi aduerſarius, qui iam fortè dicebat[b]: Participabo ſpolia, replebo animam meam, interficiam gladio meo, dominabitur manus mea; nullum potuit occupare: incurrit[*] anguſta & teterrima loca, in quorum conclauibus Dei exercitum coarctaret. Tunc eis etiam viſitationis humana negata conſolatio. Puniuntur & cuſtodes fuſtibus, & grauiter affliguntur. Iactantur confeſſores Chriſti ſuper inuicem, anguſtiâ coarctante, vnus ſuper alium, vt agmina locuſtarum, & (vt propè dicatur) vt grana pretioſiſſima frumentorum. In qua conſtipatione ſecedendi ad naturale officium nulla ratio ſinebat loci: ſed & ſtercora & vrinam, vrgente neceſſitate, ibidem faciebant, vt ille tunc fœtor & horror vniuerſa pœnarum genera ſuperaret. Ad quos aliquando, dantes ingentia munera Mauris, dormientibus VVandalis, vix clam admiſſi ſumus intrare. Qui introëuntes velut in gurgite luti vſque ad genua cœpimus mergi, & tunc Hieremiæ videntes fuiſſe completum[c]: Qui nutriti ſunt in croceis, amplexati ſunt ſtercora ſua.*

[b] Exod. 15.
[*] inuenit
CONFESSORES ANGVSTIATI ARCTO CARCERE.
[c] Hieron. Thren. 4.

XXCVII.

*Quid multa? præcepti ſunt, vndique perſtrepentibus Mauris, ad iter, vbi deſtinati ſunt, præparari[*]. Exeuntes itaque die Dominicâ, linita habentes ſtercoribus veſtimenta, facies ſimul & capita, à Mauris tamen crudeliter minabantur, hymnum cum exultatione Domino decantantes: Hæc[d] eſt gloria omnibus ſanctis eius. Aderat enim ibi tunc beatus Pontifex Cyprianus Vnizibirenſis Epiſcopus conſolator egregius, qui ſingulos pio & paterno fouebat affectu[*] non ſine fluminibus currentium lacrymarum, paratus pro fratribus animam ponere, & ſe vltroneum, ſi dimitteretur, talibus paſſionibus dare: qui totum, quod habuit, egentibus fratribus in illa tunc neceſſitate expendit. Quærebat enim occaſionem, qualiter confeſſoribus ſociaretur ipſe animo & virtute confeſſor: qui poſteà per multos agones & ſqualores carceris ad exilium, quod deſiderabat, cum exultatione perrexit.*

[*] properare
[d] Pſ. 149.
DE CYPRIANO EPISC. ET CONFESSORE.
[*] affatu

XXCVIII. DIGNA QVERELA OCCVRRENTIVM POPVLORVM.

*Quanta tunc multitudines de diuerſis regionibus & ciuitatibus ad viſendos Dei martyres occurrerent populorum, teſtantur viæ, vel ſemitæ, quæ cùm agmina venientium nequaquam caperent, per vertices montium & ima vallium concurrens turba fidelium ineſtimabilis deſcendebat, cereos manibus geſtantes, ſuoſque infantulos veſtigijs martyrum proijcientes, iſta clamabant: Quibus nos miſeros relinquitis, dum pergitis ad coronas? Qui hos baptizaturi ſunt paruulos fontibus aquæ perennis? Qui nobis pœnitentiæ munus allaturi ſunt, & reconciliationis indulgentiâ obſtrictos peccatorum vinculis ſoluturi? quia vobis dictum eſt[e]: Quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis. Qui nos ſolemnibus orationibus ſepulturi ſunt morientes? A quibus diuini ſacrificij ritus adhibendus eſt conſuetus?* hæ fuerunt ex præcordijs erumpentes piorum querelæ, quibus intelligis, quæ eſſent munia ſacerdotum, & perſeuerans in tot anguſtijs in ſa-

[e] Matth. 16.

cris

cris obeundis ac miniſtrandis Eccleſiæ ſacramentis traditio accepta à maioribus, & in poſteros iugiter propagata: quibus infeliciſſimos ſugilles noſtri temporis Nouatores.

XXC-IX. CRVDELITAS IN LAPSOS A MAVRIS ADMISSA.

*In his vocibus* (ſubdit Victor) *& lacrymis nullus iam pergere admiſſus eſt conſolator, ſed arctabatur multitudo ad currendum, vt vbi cannana erat præparata, laborioſam caperet manſionem. Qui cùm ſenes deficerent & alij fortè etſi iuuenes delicati, cœperunt haſtilium cuſpidibus ad currendum & lapidibus tundi: vnde magis deficientes, ampliùs laſſabantur. Poſt verò imperatum eſt Mauris, vt eos, qui ambulare non poterant, ligatis pedibus, vt cadauera animalis mortui traherent per dura & aſpera lapidum loca: vbi primò veſtimenta, poſteà membra ſingula carpebantur: quibus per gladios acutos petrarum huic caput conterebatur, alij latera findebantur, & ita inter manus trahentium ſpiritum exhalabant. quorum numerum nequaquam valuimus colligere, multitudine coërcente. Exaltatur tamen per totum aggerem publicum vilis ſepultura ſanctorum loquentibus tumulis.*

XC. EXVLVM ORTHODOXORVM.

*Reliqui habiliores ad ſolitudinis loca perueniunt: in quibus collocati, hordeum ad veſcendum vt iumenta accipiunt. Vbi etiam venenatorum animalium atque ſcorpionum tanta dicitur eſſe multitudo, vt ignorantibus incredibilis videatur: quæ ſolo flatu etiam procul poſitis veneni virus infundat. Ab ſcorpij autem percuſſu nullum dicunt aliquando euaſiſſe. Quorum feritas virulenta, vſque ad præſens tempus, Chriſto defendente, nullum ſeruorum eius nocuiſſe docetur. Sed cùm illic alerentur hordeaceis granis, poſteà & hoc ablatum eſt; quaſi non poterat Deus, qui pluerat patribus manna, paſcere & nunc tali exilio mancipatos.*

XCI.

*Cogitat acriora aduerſus Eccleſiam Dei, vt qui membra aliqua abſciderat, totum laniando perderet corpus. Nam die Aſcenſionis Domini, legatus Zenonis Imperatoris, Reginâ præſente, legendum in media Eccleſia Epiſcopo Eugenio dirigit præceptum, quod etiam vniuerſæ Africæ veredis currentibus deſtinauit:*

EDICTVM DE DISPVTATIONE FACIENDA.

*Rex Hunericus VVandalorum & Alanorum vniuerſis Epiſcopis Homouſianis. Non ſemel, ſed ſæpiùs conſtat eſſe prohibitum, vt in ſortibus VVandalorum ſacerdotes veſtri conuentus minimè celebrarent; ne ſuâ ſeductione animas ſubuerterent Chriſtianas. Quam rem ſpernentes plurimi reperti ſunt contra interdictum Miſſas in ſortibus VVandalorum egiſſe, aſſerentes ſe integram regulam Chriſtianæ fidei tenere. Et quia in prouincijs à Deo nobis conceſſis ſcandalum eſſe nolumus: ideò Dei prouidentiâ cum conſenſu ſanctorum Epiſcoporum noſtrorum hoc nos ſtatuiſſe cognoſcite: vt ad diem Kalendarum Februariarum proximè futurarum, omiſſâ inexcuſatione formidinis, omnes Carthaginem veniatis, vt de ratione fidei cum noſtris venerabilibus Epiſcopis poſſitis inire conuentum, & de fide Homouſianorum, quam defenditis, de diuinis Scripturis propriè approbetis: quo poſſit agnoſci, ſi integram fidem teneatis.*

XCII. QVO TENDEBAT HVNERICI DOLVS.

*Huius autem edicti tenorem vniuerſis Epiſcopis tuis per vniuerſam Africam conſtitutis direximus. Data ſub die XIII. Iunias, anno ſeptimo Hunerici.* eſt hic ipſe annus. hæc ſunt de futura collatione Hunerici mandata fiduciam habentis defecturos omnino Catholicos ab ea, quam ipſe exigebat, probatione, nempe vt ex diuina Scriptura vocem Conſubſtantialitatis probare poſſent, quam certò ſciret teſtificatione ſuorum Epiſcoporum in diuinis Scripturis expreſſam minimè reperiri: ſicque patefacta fouea videretur, quâ vel Catholici fidem, quam non probarent ex diuinis Scripturis, defererent: vel ſi perſtarent in ſententia, oblata iuſta videri poſſet occaſio omnes Epiſcopos Orthodoxos ab Africa expellendi. Quæ autem poſteà ſecuta fuerint, & quomodo hæc à pijs accepta, ſubdit ſic Victor:

XCIII. [a] Tob. 2. MÆRENT CATHOLICI.

*Cognoſcentibus igitur, qui aderamus, ſimulque legentibus, contrita ſunt exemplo corda noſtra, & contenebrati ſunt oculi noſtri, & verè tunc dies [a] feſti noſtri conuerſi ſunt in luctum, & cantica in lamentationem, dum edicti tenor indicaret futuræ perſecutionis furorem. Et præſertim vbi dixit: In prouincijs noſtris à Deo nobis conceſſis ſcandolum eſſe nolumus. quaſi diceret: In prouincijs noſtris Catholicos eſſe nolumus. Tractatum eſt, quid fieret. Nullum inuenit remedium imminens calamitas, niſi à S. Eugenio rationabilis (ſi cor barbarum emolliretur) Suggerenda daretur tali textu conſcripta:*

XCIV.

*Quoties animæ vel vitæ æternæ ac fidei Chriſtianæ cauſa tractatur, intrepidè (ſicut regalis prouidentia compromiſit) neceſſe eſt, quod competit, ſuggeratur. Nuper poteſtas regia per VVitaredum Notarium paruitatem meam admouere dignata eſt; qui nobis de merito ac religione fidei præceptum eius in Eccleſia, præſente clero & plebe, recenſuit: Ex cuius tenore cognouimus ad omnes Coëpiſcopos meos præceptum regium ſimiliter emanaſſe, vt die conſtitutâ pro diſputatione fidei veniatur. Quod nos venerabiliter accepiſſe ſuggeſſimus: debere etiam tranſmarinarum omnium partium, qui nobis ſunt in vna religione vel communione conſortes, agnoſcere; quia vbique regno eius obtemperant vniuerſi; maximè quod totius mundi cauſa eſt, non ſpecialis prouinciarum Africanarum tantummodo. Et quia ſecundo reſponſo ſuggerendum me promiſi oblaturum; meritò ſuppliciter peto magnificentiam tuam, vt ad domini & clementiſſimi Regis aures memoratam ſuggeſtionem meam perferre digneris; quo eius clementia dignanter agnoſcat, nos diſputationem legis cum adiutorio Dei nullatenus declinare vel fugere, ſed ſine vniuerſitatis aſſenſu nos non debere aſſerendæ fidei noſtræ cauſas aſſumere. Quod petimus, vt benignitate, quâ tantus eſt, & iuſtitiâ ſapientiæ ſuæ dignetur annuere. Data ab Eugenio Epiſcopo Eccleſiæ Catholicæ Carthaginis.*

S. EVGENII LIBELLVS AD HVNERICVM.

SVGGESTIO EVGENII EPISC. CARTHAGIN.

XCV. [b] Pſal. 7. HVNERICVS S. EVGENIVM DERIDET.

*Sed cùm hæc ſuggeſtio à beato Eugenio offerretur; ille iam [b], qui conceperat dolorem, vrgebatur iniquitatem grauiùs parturire: & ita S. viro Epiſcopo Eugenio per Obadum Præpoſitum regni ſui mandâſſe videtur: Subde mihi vniuerſum Orbem terrarum, & ſub poteſtate mea vniuerſus mundus redigatur: & facio, ô Eugeni, quod dicis. Ad quod beatus Eugenius reſpondet, vt potuit: Quod rationem (inquit) non habet, dici non potuit: ſic eſt hoc, quomodo ſi dicatur homini, vt per aëra feratur & volitet, quod moris non eſt humanæ naturæ. Dixi enim: Si noſtram fidem, quæ vna & vera eſt, poteſtas Regis cognoſcere deſiderat, mittat ad amicos ſuos: ſcribam & ego fratribus meis, vt veniant Coëpiſcopi mei, qui vobis nobiſcum communem fidem noſtram valeant demonſtrare; & præcipuè Eccleſia Romana, quæ caput eſt omnium Eccleſiarum.*

XCVI.

*Ad hæc Obadus: Ergo tu & Dominus meus Rex ſimiles eſtis? Eugenius Epiſcopus dixit: Ego non ſum ſimilis Regis, ſed dixi: Si veram cognoſcere deſiderat fidem, ſcribat amicis ſuis, vt dirigant noſtros Catholicos Epiſcopos; & ego ſcribo Coëpiſcopis meis, quia Catholicæ vniuerſæ vna eſt cura.* haud quidem hæc ineptè Eugenius: ſiquidem qui Romano præerant Imperio Principes, erant Hunerico fœdere iuncti, Odoacer in Occidente, idemque vt ille Arianus, & Zeno in Oriente in Catholicos parum æquus. Sed ſubdit victor: *Hæc agebat Eugenius, non quia deeſſent in Africa, qui aduerſariorum obiecta refellerent, ſed vt illi veniſſent, qui alieni ab eorum dominatu maiorem fiduciam libertatis haberent, pariterque oppreſſionis noſtræ calumnias vniuerſis terris & populis nunciarent. Ille autem, qui necdebat dolos, audire noluit rationem, agens argumentationibus crebris, vt quoſcumque Epiſcoporum audierat eruditos, varijs inſectationibus agitaret. Iam ad exilium Vibianenſem ſecundò Donatianum, impoſitis centum quinquaginta fuſtibus, miſerat Epiſcopum, necnon & Sufetulenſem Præſidium, virum ſatis acutum. Tunc & venerabiles Manſuetum, Germanum, Fuſculum, & multos alios fuſtigauit.*

XCVII. VETAT HVNERICVS COMMVNICARE VVANDALOS CVM CATHOLICIS. [c] 2. Tim. 2 [d] 1. Cor. 5.

*Dum hæc geruntur, imperat vt cum noſtræ religionis viris illorum menſam nullus communem haberet, neque cum Catholicis omnino veſcerentur. Quæ res non ipſis aliquod præſtitit beneficium, ſed nobis maximum contulit lucrum. Nam ſi ſermo eorum (dicente Apoſtolo [c]) ſicut cancer conſueuit ſerpere; quantò magis communis menſa ciborum poterit inquinare: cùm dicat Apoſtolus [d]: Cum nefarijs nec cibum habere communem.* huculque Victor res præſentis anni ſuâ hiſtoriâ eſt proſecutus: quæ verò ſequitur ſubinferre, ſequenti anno contigiſſe noſcuntur, noſque ſuo ea loco reddemus.

# IESV CHRISTI

## Annus 484.

FELICIS PAP. Annus 1. ZENONIS IMP. 11. ODOACR. REG. 9.

I. THEODORICVS ORATVS ZENONI.

IAM voluitur annus Domini quadringenteſimus octogeſimusquartus, duobus notatus Cõſulibus, Theodorico Gothorum Rege, atque Venantio. Metuit barbarus